*AUTHOR:*
GEIER, SAMUEL
ROBERT

*TITLE:*
COMMENTATIONIS DE
ALEXANDRI M. RERUM
SCRIPTORIBUS . . .

*PLACE:*
HALIS

*DATE:*
1835

Master Negative #

92-80773-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Geier, Samuel Robert, 1810-
Commentationis de Alexandri M. rerum scriptoribus particula, quam ... publice defendet Samuelis Robertus Geier ... Halis, typis expressum Ploetzianis, 1835.
40 p. 21 cm.


Thesis. Halle.



Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35　　REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/25/92　　INITIALS MGY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




# AIIM


**Association for Information and Image Management**
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202










Geier.

De Alexandri M. rerum
Scriptoribus.



COMMENTATIONIS

DE

# ALEXANDRI M. RERUM SCRIPTORIBUS

PARTICULA.

---

QUAM

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA

HONORES

RITE OBTINENDOS

D. XI. MART. H. X.

PUBLICE DEFENDET

*SAMUELIS ROBERTUS GEIER*

NEBRANUS

SEMINARII REG. PHILOL. ET PAED. ITEMQUE SOCIETATIS HISTORICAE SODALIS.

---

ADVERSARII ERUNT:

CAROL. HASSE, LEOP. KRAHNER, } PHILOSOPHIAE DOCTORES.
ROB. UNGER, SEM. REG. PHILOL. NUPER SENIOR ET SOCIETATIS HISTORICAE SODALIS.

---

HALIS

TYPIS EXPRESSUM PLOETZIANIS

MDCCCXXXV.

Quae ad summos in philosophia honores impetrandos Amplissimo Philosophorum Ordini a nobis tradita est commentatio „de aequalibus Alexandri M. rerum scriptoribus“ quum duplex sequeretur consilium erat bipartita. Juvenile enim ingenium et vires qualescunque in ea quaestione exercituri, ex qua tum ad litterarum Graecarum historiam tum ad Alexandrum vere cognoscendum et iudicandum aliquid emolumenti posset redundare, altera parte vitam et scripta illorum sciptorum tractavimus, altera in consilium inquisivimus, quod spectaverint in Alexandri rebus narrandis et existimandis. Neutram autem quaestionem aggressi sumus, nisi postquam singula eorum fragmenta diligenter collecta et examinata habuimus. Cuius quidem commentationis, quam addita fragmentorum collectione et interpretatione propediem, si Deus voluerit, in publicum usum sumus edituri, eam nunc particulam

proposuimus, qua, ne hic libellus quamvis arctissimis finibus circumscriptus omni omnino ordine ac ratione esset destitutus, de quattuor virorum vita et scriptis egimus, quorum tres praecipui Arriani historiarum quasi fontes habendi sunt, quartus vero ab eo certe non ignoratus, propter singularem viam, quam in commentariis scribendis ingressus est, hoc loco non praetermittendus videbatur.

Ceterum hoc exiguum iuvenilium studiorum specimen quorum in manus perveniet ut aequi bonique consulant etiam atque etiam rogatos volo. Si quis vero miretur, idem fere nos stadium ingressos esse, quod paucis ante lustris doctissimus Gallus non sine magna laude iam emensus videatur, is meminerit, Santo-Crucium ipso ampliore celeberrimi Examinis Critici argumento et consilio, quo minus scriptoribus a nobis tractatis singularem operam impenderet, haud sine magno egregii operis detrimento esse impeditum.

Scripsi Halis Cal. Mart. MDCCCXXXV.

---

## Cap. I.

### *De scriptoribus Alexandro M. aequalibus in universum quaedam annotantur.*

Omnibus viris magnis, quotquot vel ingenii vi vel rerum gestarum novitate et pondere tantum valuerunt, ut plurimorum populorum sortes per multa saecula iis mutarentur et regerentur, illud videmus usu venisse, ut aequales sive magnarum et novarum rerum splendore obcaecati nimiaque admiratione abrepti, sive partium studiis rerumque praesentium commodis et damnis ducti in eorum existimatione et iudicio faciendo longissime plerumque animos a vero flecti paterentur. Alexandri autem rerum series vix duorum lustrorum spatio coarctata nemini profecto non praeter consuetudinem facta et mira vel hodie videbitur. Atqui eae res sub oculis populi patrabantur sponte iam propter ingenii alacritatem ad miraculorum et fabularum fictionem propensi atque iis in terris fiebant, quarum memoria antiquitus iam poëticis fabulis decora Graecorum animis inhaerebat; dein contra barbaros gerebantur, qui superbe olim a Graecis non solum aquam et humum servitutis signa poposcerant, sed deorum templa et sacra impiis ac sacrilegis manibus violaverant; dux vero et auctor harum rerum erat iuvenis, qui celeberrimorum inter Graecos heroum et genus iactabat et virtutes toto animi fervore aemulabatur, ceterum altiora moliebatur et agebat, quam quae plurimorum Graecorum opinionibus essent consentanea; scripto-

res denique, qui primum eas res memoriae prodiderunt, maximam partem Graeci et Alexandri comites ea aetate florebant, qua ars historica a viribus et sano colore ad rhetoricum fucum fabularumque captationem turpiter degeneraverat.

Haec probe tenenda sunt ad historicos recte iudicandos, qui Alexandro aequales eius res commentariis consignarunt. Quorum omnium si quaeris, qui primae boni historici legi satisfecerint: „ne quid falsi dicere audeat: deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis [1]): Arrianus [2]) quidem unos appellat Ptolemaeum et Aristobulum. Quodsi verissime Pellaeus iuvenis, quum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset, fortunatum heroem praedicavit, qui suae virtutis Homerum praeconem invenisset [3]): nos quidem haud mediocriter dolemus, quod ne eorum quidem scriptorum, quos solos veraces certe rerum suarum narratores alter Achilles nactus est, integri commentarii ad tempora nostra pervenerunt. Quamvis enim feliciter contigerit, ut Arrianus, vir sani et exacti iudicii, in Expeditione Alexandri conscribenda prae ceteris duos illos scriptores sequeretur, neutiquam tamen horum commentariorum iactura Arriani libro superstite usquequaque potest compensari. Namque ad integram et sinceram Alexandri M. imaginem animis imprimendam quum omnium maxime quae aequalium de eo fuerint opiniones et iudicia cognita habeamus oporteat: Arrianus in singularibus quibusdam rebus Ptolemaeo et Aristobulo imprimis adstipulatus non poterat tamen, quin in universum non ex eorum sed ex sua ipsius opinione magni regis imaginem adumbraret. Ceterum Arrianus utcunque laudandus, quod inter omnes Alexandri rerum auctores Ptolemaei et Aristobuli auctoritati longe plurimum tribuit, minus tamen quam par erat reliquorum scriptorum Alexandro aequalium narrationes videtur curasse et usurpasse. Uno enim Nearcho excepto,

1) Cf. Cic. de orat. II. c. 15. §. 62. — 2) Praef. Exp. Alex. — 3) Cf. Arr. Exp. Alex. I. c. 12. §. 3. sqq. —



quem et in Alexandri Expeditione allegavit [1]) et in Historia Indica praecipue sequutus est [2]), reliquos omnes hos auctores ita sprevit, ut ne uno quidem loco eos excitaret [3]). Aliter Plutarchus et Strabo egerunt, qui data occasione ad omnes fere hos scriptores provocarunt [4]), quippe qui bene sentirent, dummodo caute et prudenter iis utaris, praeclara hinc ad pleniorem ac veriorem Alexandri rerum notitiam comparandam depromi posse. Veluti Strabo (T. VI. p. 61. Tzsch.) quamquam lepide Onesicritum τῶν παραδόξων μᾶλλον ἢ Ἀλεξάνδρου ἀρχικυβερνητὴν appellavit atque de reliquis id genus Alexandri rerum auctoribus in universum sic iudicavit: πάντες μὲν γὰρ οἱ περὶ Ἀλέξανδρον τὸ θαυμαστὸν ἀντὶ τἀληθοῦς ἀπεδέχοντο μᾶλλον· ὑπερβάλλεσθαι δὲ δοκεῖ τοὺς τοσούτους ἐκεῖνος (Ὀνησίκριτος) τῇ τερατολογίᾳ, sapienter addit: λέγειν δ᾽ οὖν τινα καὶ πιθανὰ καὶ μνήμης ἄξια, ὥστε καὶ ἀπιστοῦντα μὴ παρελθεῖν αὐτά. Quam multa autem apud hos scriptores vera falsis, praeclara ineptis immixta fuerint, ex ipsis eorum fragmentis optime evincitur. Quid multa? Certissimum est, ne mendacissimi quidem historici Alexandro aequalis commentarios deperditos ullo sequioris aetatis scriptore prorsus reparari. Ad singulorum vero horum auctorum pretium vere iudicandum et aestimandum primum eorum vitam necesse est quam accuratissime habeas compertam, unde videas, quatenus illi et potuerint et voluerint vera tradere. Etenim cum in unoquoque artium et litterarum opere de auctore quaerere operae pretium est, tum ad historicorum libros recte intelligendos et iudicandos hac quaestione minime possis supersedere, praesertim qui non remotiorum temporum et populorum, sed suae gentis et aetatis res tractaverunt. In historicis vero, qui Alexandro M. ae-

1) Exp. Alex. VI. 13. §. 10. VII. 3. §. 8. — 2) Cf. Exp. Alex. V. 5. Hist. Ind. c. XVII. — 3) Quod enim Callisthenis et Onesicriti interdum mentionem fecit (cf. Exp. Alex. IV. c. 10. sqq. VI. 2. §. 6.), hoc non tam ad scripta quam vitam et mores eorum pertinet. — 4) Cf. Heeren. de fontt. et auct. vitt. parall. Plut. p. 65. et Siebenk. praef. Strab. p. XVII. sqq.

quales eius res gestas conscripserunt, accedit etiam illud, quod plerique rerum narratarum ipsi pars fuerunt. Namque praeterquam quod regem comitabantur, plurimi eorum vel ducum munere vel alio ministerio apud regem fungebantur. In horum numero habendi sunt: Ptolemaeus, Aristobulus, Onesicritus, Nearchus, Chares, Marmaeus, Aristobulus, Onesicritus, Nearchus, Chares, Marsyas, Ephippus, Eumenes et Diodotus, Baeto et Diognetus, qui omnes ab initio a scribendi consilio remoti postea variis de causis, imprimis vero propter rerum quibus ipsi intererant magnitudinem et splendorem, ad eas narrandas sese converterunt. Qui vero scriptorum munus ab initio professi, Alexandri quoque res singularibus libris persequuti sunt, tres tantum fuerunt philosophi: Callisthenes, Clitarchus, Anaximenes [1]. —

Neque placet, si qui Hieronymum quoque Cardianum in hunc numerum retulerunt. Auctor huius opinionis est J. G. Vossius, qui (de hist. gr. I. c. 11.) haec annotavit: „Huius Cardiani non ignobile inter historicos nomen est. Scripsit autem de rebus gestis Alexandri, quemadmodum est apud Suidam.“ — Suidae verba (*v. Ἱερώνυμος Καρδιανός*) sunt haecce: *Ἱερώνυμος Καρδιανός· ὃς τὰ ἐπ᾽ Ἀλεξανδρείᾳ πραχθέντα συνέγραψεν.* — Verba: *τὰ ἐπ᾽ Ἀλεξανδρείᾳ* Vossius mutanda censet in: *τὰ ἐπ᾽ Ἀλεξάνδρου* [2]). Deinde vir doctus sic pergit: „Itaque hunc Hieronymum intelligi puto ab Appiano in Mithridaticis (c. VIII. V. I. p. 651. Schweigh.), ubi postquam de rebus Bithyniae egisset, ad Cappadocas accedit, atque ex Hieronymo refert, Alexandrum quum adversus Darium proficisceretur has gentes reliquisse intactas, ingressumque aliam viam maritimam per Pamphyliam et Ciliciam.“ Haec Vossius. Cuius in sententiam pedibus iverunt Fabricius (Bibl. Gr. V. III. p. 43. Harl.) et Mannertus (Hist. Success. Alex. p. 357.). Santo-Crucius (Exam. Crit. p. 40.), qui est eius

1) Quare oratorie potius quam vere Cicero (pro Arch. c. 10.) exclamavit: „*Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse traditur!*“ — 2) Quae verba etiam in cod. Leid. reperiuntur exarata. Kusterus mavult. *τὰ ὑπ᾽ Ἀλεξάνδρου.*



mos in rebus dubiis, ambigue sic statuit: „On ne peut douter, que Jérôme n'eut écrit beaucoup des choses concernant Alexandre, s'il n'en avait pas composé la vie particuliére.“ — Unus Sevinus abbas (Act. Acad. Paris. T. XIX. p. 44. sqq.) Vossio refragatus in Suidae loco non *τὰ ἐπ᾽ Ἀλεξάνδρου* sed *τὰ ἐπ᾽ Ἀλεξάνδρῳ* legendum [1]), neque historiam Alexandri sed celeberrimam historiam rerum post Alexandrum gestarum, omnium consensu ab Hieronymo conscriptam, hoc quoque loco intelligendam censet. Quam sententiam nuperrime demum impugnavit acerrimus Sevini adversarius F. G. Kiesslingius in commentatione, quam de Menaechmo Sicyonio et Hieronymo Cardiano scripsit (p. 25.), ubi Vossii coniectura comprobata haec addit: „Sevinus mavult *Ἀλεξάνδρῳ* minus recte. Nam Suidas si intelligi voluisset historiam successorum Alexandri, usus esset consueto dicendi genere: *ὃς τὰς τῶν διαδόχων ἱστορίας συνέγραψε*, atque omnino magis consentaneum videtur, a lexicographo commemorari primam operis partem quam mediam.“ At vero quamquam in universum nobis quoque Sevini vehementer displicuit commentatio, lubenterque concedimus, abbatis istius errores et allucinationes felicissime plerumque a Kiesslingio esse refutatas: hoc tamen loco Sevinus multo propius quam Kiesslingius ad veritatem accessisse censendus est. Namque etsi ne Sevini quidem coniectura nobis satisfacit, verissime tamen ille vidit, Suidae verbis non historiae Alexandri ab Hieronymo conscriptae sed celeberrimi eius operis de Alexandri successoribus editi mentionem delitescere. Etenim misso tantisper Suidae loco videamus reliquorum veterum scriptorum de Hieronymo Alexandri historiae auctore testimonia. Verum enim vero quum Hieronymum *τὸν τὰς τῶν διαδόχων ἱστορίας γεγραφότα* unusquisque optime norit [2]), eiusdem Hieronymi Alexandri rerum scriptoris

1) Haud scio an Leopardo magistro, qui eandem coniecturam iam dudum proposuit. — 2) Cf. Paus. Attic. IX. 9. sqq. Lucian. Macrob. 11. §. 13. Diod. XVIII. c. 42. Heynius de fontt. hist. Diod. comment. III. —

ne verbo quidem mentio facta est. Prae ceteris autem, siquidem Hieronymus singularem de Alexandri rebus librum conscripsisset, mirum omnino Plutarchi silentium videretur. Quid enim? Num credibile est, Plutarchum, quem in Eumenis, Pyrrhi, Demetrii vitis Hieronymi libros saepissime et allegasse et plurima ex iis hausisse scimus, [1]) in vita Alexandri, ubi omnes fere aequales eius rerum scriptores excitavit, Hieronymum ne obiter quidem inter eos memoraturum fuisse, siquidem idem argumentum ab eo tractatum erat? Haec omnia profecto haud mediocrem de Suidae auctoritate dubitationem moverent, etiamsi luculentissimis et certissimis verbis apud eum annotatum legeretur, ab Hieronymo Cardiano singularem librum de Alexandri rebus gestis esse concinnatum. Nunc vero non luculenta ac certa extant Suidae verba, sed locum habemus haud dubie corruptum, eumque ita comparatum, ut celeberrimum Hieronymi opus de Alexandri successoribus scriptum haud maiore litterarum mutatione hinc eruere possis, quam Alexandri rerum historiam, nimirum quam omnes veteres scriptores ignorant [2]). — Quod vero Kiesslingius contra hanc sententiam annotavit, magis sibi consentaneum videri, a lexicographo commemorari primam operis partem quam mediam, prorsus nihili est. Namque ut taceamus, quam primam dicit Kiesslingius Hieronymi operis partem, ne aliquam quidem fuisse eius

1) Cf. Heeren. de fontt. et auct. vitt. parall. Plut. p. 70. 72. 74. — 2) Negavimus Leopardi et Sevini coniecturam: *τὰ ἐπ᾽ Ἀλεξάνδρῳ πραχθέντα* prorsus nobis satisfecisse. Vix enim credibile videtur, *τὰ ἐπ᾽ Ἀλεξάνδρῳ* scripsisse qui *τὰ μετ᾽ Ἀλέξανδρον* significare voluerit. Quod vero Lexicographus non consueto dicendi genere hoc loco usus est, nonne fortasse hoc eo referendum, quod non solum *τὰς τῶν διαδόχων ἱστορίας* sed etiam *τὴν περὶ ἐπιγόνων πραγματείαν*, quam ab eodem Hieronymo scriptam scimus (cf. Kiessl. l. c.), brevissime una dictione *τῶν ἐπ᾽ Ἀλεξάνδρῳ πραχθέντων* comprehendere voluit? — Quid quod ipse sonus vocabulorum: *ἐπιγόνων πραγματείας* huc valere poterat. Utcunque est, illud profecto nemo nobis persuadebit, hunc Suidae locum eorum opinioni calculum adiicere, qui Hieronymum Alexandri rerum scriptoribus putant esse adnumerandum. —



librorum particulam: nonne multo magis decebat lexicographum, clarissimum Hieronymi librum de rebus post Alexandrum gestis hoc loco appellare, quam eum, quem nemini veterum scriptorum ne innotuisse quidem scimus? Denique quod ad Appiani locum attinet, perquam sane miratus sum, eum et a Vossio et a Kiesslingio inter suae opinionis testimonia relatum esse. Namque quod obiter Appianus hoc loco ex Hieronymo attulit, Alexandrum, quum adversus Darium proficisceretur, Cappadocas intactos reliquisse et per Pamphyliam et Ciliciam exercitum duxisse: haec narratio num ex singulari Hieronymi libro de Alexandri rebus conscripto erat haurienda? Nonne innumeris potius locis historiarum, quibus res post Alexandrum gestas tractaverat, huic potissimum scriptori huius et similium rerum memorandarum opportunitas affatim erat suppeditata? — Quare ut summam efficiamus huius deverticuli, etsi dubitari nequit, quin haud paucis locis celeberrimi operis de Alexandri successoribus conscripti res memoratu dignas ex ipsa magni regis historia Hieronymus data occasione attigerit: vehementer tamen falluntur, qui singulari libro Alexandri eum res opinentur esse persequutum.

Misso igitur Hieronymo Cardiano si inter se comparaveris quos supra appellavimus aequales Alexandri rerum scriptores, alii integram magni regis historiam commentariis consignare susceperunt, alii singulares tantum particulas ex eius vel vita privata vel rebus gestis narraverunt. In illorum numerum referendi sunt: Callisthenes, Clitarchus, Anaximenes, Onesicritus, Ptolemaeus et Aristobulus; hi fuerunt: Nearchus, Chares, Marsyas, Ephippus, Eumenes et Diodotus, Baeto et Diognetus. Deinde tres philosophi: Callisthenes, Clitarchus, Anaximenes a reliquis scriptoribus vel ducibus vel ministris regis probe sunt discernendi. Hi enim omnes quum simplicem magis et incultam quam elegantem et quaesitam scribendi rationem usurpasse videantur: triumviri isti, rhetoricis suae aetatis artibus egregie exercitati, in splendido ac magnifico sermonis tumore ac nitore summam laudem ponebant.

Quodsi in historiis quibuscunque conscribendis nulla re magis quam hoc rhetorici tumoris ac nitoris studio officitur exactae et integrae narrationum veritati, sine qua, ut Polybius (XIII. c. 7.) ait, *καθάπερ ἐμψύχου σώματος τῶν ὄψεων ἐξαιρεθεισῶν ἀχρειοῦται τὸ ὅλον*, quid mirum, quod hi scriptores, qui eum rhetoricarum artium campum elegerant, qui sua sponte iam largam ac paene infinitam fabularum materiem suppeditabat, sicut in amplo palaestrae spatio ita versabantur, ut priscam historicorum fidem et gravitatem prorsus exuerent? Etenim in vitam et scripta horum auctorum accuratius inquirentibus facile apparebit, Alexandri M. adulationem, quam unicam vulgo veritatis neglectae causam iactant, multo minoris momenti fuisse quam et rhetoricum illud studium, ad quod tota haec aetas mirum in modum propensa esset, et ipsam Alexandri rerum eximiam magnitudinem ac novitatem, quae ut fit etiam invitis magniloquentiam saepe extorqueret. Atque horum potissimum rhetoricorum scriptorum culpa factum est, ut omnium utique qui Alexandri res prodiderunt exaggeratio et mala fides iam antiquitus infamaretur.[1]) Reliqui enim uno Onesicrito excepto, de quo pluribus mox disseretur, omnes rhetoribus istis longe veraciores, plures etiam fide dignissimi fuerunt.

---

## Cap. II.

### *Ptolemaeus Lagida.*

Ex iis, quos postremo loco diximus, Alexandri rerum scriptoribus longe gravissimus est Ptolemaeus Lagida, non solum historicus fide dignissimus, sed etiam rex celeberrimus et auctor gentis de toto orbe litterato optime meritae. Quare nefas profecto videtur, quod eius vita a

1) Praeter Arr. Exp. Alex. Praef. et I. c. 12. VI. c. 11. § 5. sq. Hist. Ind. II. et V. Schmied. ad h. l. cf. Strab. T. I. p. 188. VI. 589. 61. 3. sq. 145. Siebenk. Praef. p. XVII.



nemine virorum doctorum data opera tractata turpibus oblivionis et obscuritatis tenebris hodieque delitescit. Verum enim vero totam huius viri vitam exponere et enarrare, quum ab hoc loco alienum sit, alibi huic officio erga Lagidarum gentis clarissimae clarum auctorem conabimur satisfacere, hic vero ea duntaxat attigimus, quae ad Ptolemaeum Alexandri rerum scriptorem propius spectare videbantur. —

Arrianus (praef. Exp. Alex.) duas potissimum rationes attulit, quibus commotus Ptolemaeum ex omnibus Alexandri rerum auctoribus fide dignissimum censuerit: alteram, quod rex fuerit, in quo turpius quam in quocunque alio mendacium videretur; alteram, quod mortuo iam Alexandro eius res conscripserit, quum commentorum neque necessitas neque praemium propositum esset. Quodsi in cuiusque scriptoris fide examinanda primum quaerendum est, ille num et **potuerit** et **voluerit** vera posteris tradere: utraque profecto virtus in neminem magis quam Ptolemaeum convenit. Namque si bellator belli, socius socii, amicus amici res optime cognitas habere consentaneum est: quis Ptolemaeum negaverit Alexandri res gestas vere narrare **potuisse**? Deinde si invidia, odium, adulatio vera scribendi **voluntati** maxime refragantur: quid ab his vitiis Ptolemaeo alienius fuit? Arrianus igitur tametsi in universum bonae regum fidei nimium ponderis tribuere videtur, in Ptolemaei regis fide iudicanda haudquaquam fallitur, et iniuste Santo-Crucius (Exam. Crit. p. 44.) sic in eum invehitur: „Les rois sont-ils donc exempts de prejugés? L'amour et la haine n'agitent ils pas leur coeur, et l'orgueil ne dirige-t-il pas souvent leur plume? Ptolemée avait eu de rivaux et des ennemis, et il fallait en parler. Alexandre était mort, mais il lui importait de ne pas affaiblir la gloire de cet conquérant: aussi paraît-il l'avoir beaucoup menagée.“ Ut enim concedamus, Ptolemaeo Alexandri amico aemulos et adversarios non defuisse, quamquam neminem inter regis amicos magis quam Lagidam

gratia et amicitia apud omnes scimus floruisse:[1]) quis invidiam et odium in humano, generoso iamque defaecato senis animo [2]) tantum opinabitur effecisse, ut rerum narrandarum sinceritatem et integritatem turbarent atque inverterent? — Neque eius commentariorum fragmenta apud Arrianum maxime conservata lenissimum quidem eius rei indicium exhibent. Minus confidenter illud negare ausim, Ptolemaeum nimis etiamtum Alexandri amore et admiratione inflammatum eius virtutes et facinora invitum fortasse, ut fere fit, magis interdum quam par erat ornasse et concelebrasse, quamquam ne eius quidem rei certa in fragmentis reperiuntur vestigia. Namque bene cavendum est, ne fragmentum, quod legitur ap. Arr. Exp. Alex. III. c. 3. §. 10. huc referendum opineris. Ibi enim Ptolemaeus in describendo itinere Alexandri ad Ammonium facto narrat, *δράκοντας δύο ἰέναι πρὸ τοῦ στρατεύματος, φωνὴν ἱέντας, καὶ τούτοις Ἀλέξανδρον κελεῦσαι ἕπεσθαι τοὺς ἡγεμόνας, πιστεύσαντας τῷ θείῳ, τοὺς δὲ ἡγήσασθαι τὴν ὁδὸν τήν τε ἐς τὸ μαντεῖον καὶ ὀπίσω αὖθις.* Quo quidem loco Ptolemaeus eo adulationis progressus videtur, ut ne miraculorum quidem narratione

1) cf. Curt. IX. c. 8: „Idem (Ptolemaeus) corporis custos promptissimusque bellator et pacis artibus quam militiae maior et clarior, modico civilique cultu, liberalis imprimis, adituque facilis, nihil ex fastu regio assumpserat. Ob haec regi an popularibus carior esset, dubitari poterat.“

2) Polybio (II. c. 41. §. 71.) teste Ptolemaeus mortuus est Ol. 124, 1. (284. a. C.) Atqui ex Luciano (Macrob. §. 12.) constat, eum octoginta quattuor annos vixisse. Ergo natus est Ol. 103, 1. (368. a. C.) Iam vero ex Arr. Praef. Exp. Alex. docemur, Ptolemaeum mortuo iam Alexandro et eo quidem tempore commentarios suos conscripsisse, quum Aegypti iam rex esset. Regis autem nomen ille accepit circa Ol, 118, 3, (306, a. C.), qua de re cf. Diod. XX. c. 53. App. Syr. c, 54. Plut. Demetr. c. 18. Justin. XV. c. 2.). Quietam vero et ab externis hostibus tutam regni possessionem post Antigoni demum cladem et interitum pugna Ipsensi (Ol. 119, 4. 301. a. Chr.) nactus est. Unde colligitur, Lagidam Alexandri rerum historiam non ante septuagesimum aetatis annum conscripsisse. — Calculo lapsus est Stahrius Aristotel. P. II. p. 60. ann. 3., qui Lagidam anno 376. a. Chr. natum et circa Ol. 109, 2. (343. a. Chr.) trigesimum aetatis annum egisse posuit. —



abstineret. Quod enim Schmiederus (ad Arr. l. c.) ait haud incredibile esse, „etiam serpentes in desertis arenosis, si fugae se mandent, cultiora loca ubi nidificent petere:“ vereor ut Judaeo Apellae persuadeat, Alexandri exercitum duobus anguibus vociferantibus et ad Ammonium ductum esse et in Aegyptum iisdem ducibus rediisse. Quid multa? Miraculum hic narrari certissimum est. Quaeritur tantum, quomodo factum sit, ut Ptolemaeus alioquin ab eiusmodi fabulis alienissimus hoc potissimum loco tali narratiunculae locum daret. Eius rei causam non est difficile coniectura assequi. Etenim Diodori (XX. c. 100) et Pausaniae (Attic. VIII.) testimoniis constat, Rhodios, ubi Lagidae auxilio a molestissima Demetrii Poliorcetae obsidione liberati essent, gratos huic regi animos significaturos missis legatis Ammonem deum consuluisse, an divinis honoribus Ptolemaeum patriae servatorem (*Σωτῆρα*) venerari fas esset. Quod quum lubenter oraculum Rhodiis annuisset, quid mirum, quod Ptolemaeus tanto munere deo obstrictus in Alexandri itinere ad eundem deum describendo bene cavebat, ne vera narratione pervulgata, quod Ammon pater Alexandro filio olim praestitisse credebatur divini auxilii miraculum, in dubitationem vocare videretur. Quare ista Ptolemaei narratiuncula non tam ad Alexandri quam Ammonis dei adulationem quandam est referenda. Ut igitur Ptolemaeus hoc loco a solito veritatis tramite paululum deflexerit: causa huius erroris quum ita singularis fuerit, ut alii errores vix inde manare potuerint: veniam Lagida facile ab unoquoque impetrabit, praesertim si memineris, Ptolemaeo novo Aegypti regi huius dei gratia quanti fuerit aestimanda. Neque talis error impedit, quominus Mattero, erudito Franco Gallo, assentiamur qui quamvis in universum propter insignem, qua Lagidae res tractavit, levitatem notandus est, tamen de opere eius historico verissime ita iudicavit:[1]) „La relation des conquêtes d'Alexandre, qúe publia Pto-

1) Essai historique sur l'école d'Alexandrie. P. II. p. 68.

lémée Soter, fut un modéle d'exactitude et d'impartialité. On n'adressa jamais à cet ouvrage le blâme d'exagération." Neque improbabile est, quod idem vir doctus coniicit, Eratosthenem postea his Lagidae potissimum commentariis usum esse ad reliquorum auctorum, qui Alexandri res scriptis persequuti essent, errores et commenta confutanda.[1]) Quod vero ad ipsum horum commentariorum argumentum attinet, confidentissime idem Matterus (l. c. I. p. 61. cf. II. p. 69.) haec annotavit: „D'autres anciens (praeter Arrianum) citent également avec éloge la relation du Lagide, et rapportent qu'il s'était surtout attaché à l'exposition des faits militaires. Nos héros doivent donc regretter un ouvrage, qu'ils placeraient à côté des Commentaires de César, tout comme nos historiens voient avec douleur que l'exemple de Ptolémée ait été perdu pour ses savans." — Ex veteribus his scriptoribus, qui Ptolemaei commentarios excitent, Matterus appellavit Plinium (in Elench. lib. XII. et XIII.), Plutarchum (in Vit. Alex. c. XLVI.), Curtium (IX. c. 5.). His addendi erant: Strabo (T. II, p. 366.) Stephanus Byzantius (v. Ἀγχιάλη) Plutarchus (de Fort. Alex. or. I. p. 327. E). At vero omnes hi scriptores tam leviter eius libri mentionem iniecerunt, ut ad eius argumentum accuratius cognoscendum nihil fere hinc redundet emolumenti, ac ne unus quidem eorum, id quod Matterus dixit, Ptolemaei haud secus quam Caesaris commentariis unice res militares tractatas esse, verbo indicavit. Neque vero hanc Matteri coniecturam ab omni dixerim veritatis specie abhorrere, dummodo ne quis opinetur, rerum militarium in his commentariis ita praevaluisse expositionem, ut reliqua Alexandri historia prorsus neglecta iaceret. Ex fragmentis apud Arrianum conservatis horum librorum ita potius descripserim argumentum, ut regem scriptorem quae ad regias Alexandri et bellicas virtutes propius spectarent singulari cum diligentia et studio persequutum, geographicis aliisque id genus rebus secundariis minus indulsisse censeam. Namque

---

1) cf. Santo — Cruc. Exam. crit. p. 52.



quum alios Alexandri rerum scriptores multos fuissse sciamus in Indicis rebus adumbrandis, Ptolemaeus earum narratione usquequaque videtur supersedisse, quandoquidem, ut alios auctores taceam, ne Arrianus quidem in Historia Indica de talibus rebus ullo loco ad Ptolemaei auctoritatem provocavit. Quid quod idem scriptor (Exp. Alex. V. c. 20. §. 14.) luculenter docuit, *ὅτι Ἀκεσίνου ποταμοῦ τὸ μέγεθος μόνου τῶν Ἰνδῶν ποταμῶν Πτολεμαῖος ὁ Λάγου ἀνέγραψεν.* Quodsi ne fluviorum quidem descriptioni Ptolemaeus locum dedit, multo minus est credibile alias res geographicas ab eo esse adumbratas. —

De Ptolemaei scribendi genere quum omnibus veterum testimoniis destituti simus nihil certi statuere licet. Illud quidem non est consentaneum horride et inculte eum scripsisse, quem „pacis artibus quam militiae maiorem etiam et clariorem" fuisse sciamus. Accedit quod et Demetrii Phalerei et aliorum virorum non minus dicendi facultate quam doctrinae copia insignium ipsum regem iam senescentem constat interfuisse scholis ac disputationibus.[1]) A fucato autem Anaximenis, Callisthenis, Clitarchi, tumore longissime Ptolemaeum abhorruisse et fragmenta spondent et veterum scriptorum silentium innuit, qui nunquam in eo tale quid reprehenderunt. Haud temere igitur aliquatenus certe ad Lagidam referre licet ista Polybii (XII. c. 28): „*Ὁ μὲν οὖν Πλάτων φησὶ, τότε τἀνθρώπεια καλῶς ἕξειν ὅταν ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς φιλοσοφήσωσιν. Κἀγὼ δ' ἂν εἴποιμι, διότι τὰ τῆς ἱστορίας ἕξει τότε καλῶς, ὅταν ἢ οἱ πραγματικοὶ τῶν ἀνδρῶν γράφειν ἐπιχειρήσωσιν — ἢ οἱ γράφειν ἐπιβαλλόμενοι τὴν ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἕξιν ἀναγκαίαν ἡγήσωνται πρὸς τὴν ἱστορίαν.* —

---

1) De Demetrio Phalereo cf. Diod. XX. c. 42. Plut. Demetr. c. IX. Apopht. p. 189. Ael. V. H. III. 17. Diog. Laert. V. 65. Stahr. Aristot. II. p. 57. Praeterea Zenodotum (cf. Suid. s. h. v.) Theodorum Atheum (Diog. Laert. II. §. 102. Plut. de Exil. c. 16. Cic. Tusc. I. c. 43. V. c. 40.) Diodorum Cronum et Stilponem (Diog. Laert. II. §. 111.) Stratonemque Lampsacenum (Diog. Laert. V. §. 3. init.) Lagidae iam aetate Alexandriae degisse scimus.

Tanto maiorem omnium, quibus antiquitas cordi est, exspectationem olim fefellit Seb. Godofr. Starckius, qui Ptolemaei librum adhuc superesse opinatus eius edendi spem fecerat, quum, quod iam ab initio haud temere multi veriti erant, thesaurum illum carbones esse appareret. [1]) Ceterum epistolae quoque Ptolemaei Lagidae ad Seleucum aliosque huius aetatis reges videntur extitisse. Namque apud Lucianum (Pro Laps. in salut. §. 10.) Dionysodorus quidam, de quo nihil praeterea constat, earum collectionem fecisse traditur. —

---

## Cap. III.

### *Aristobulus Cassandrensis.*

Alter historicus, quem Arrianus ut fide dignissimum prae ceteris sequutus est, erat Aristobulus, Aristobuli filius. [2]) Alexandri M. sese comitem fuisse ipse professus est in fragm. ap. Strab. T. VI. p. 29. — 32., ubi de nivibus ac pluviis Indiae agens ille narrat, in itinere quod una cum Alexandro hanc in terram fecerit haec omnia a semet ipso probe esse observata. [3]) Idem Strabo (l. c. p. 36. — 37.) ubi ex Aristobuli testimonio intermediam Indiae regionem terrae motibus haud raro concuti probavit, quippe quae nimia humiditate laxata facile ita rumpatur, ut etiam fluminum alvei commutentur, haec addit: *πεμφθεὶς γοῦν ἐπί τινα χρείαν ἰδεῖν φησιν (ὁ Ἀριστόβουλος) ἐρημωθεῖσαν χώραν πλειόνων ἢ χιλίων πόλεων σὺν κώμαις, ἐκλιπόντος τοῦ Ἰνδοῦ τὸ οἰκεῖον ῥεῖθρον* sqq. Unde docemur Aristobulum non solum comitem fuisse Alexandri sed ad varia etiam negotia exsequenda a

1) cf. Fabric. Bibl. Gr. Vol. III. p. 50. Harl. — 2) cf. Arr. Praef. Exp. Alex. et ib. VI. c. 28. §. 3. — 3) Neque in harum rerum expositione Aristobulum mentitum esse docet Bohlen. de Vet. Ind. T. I. p. 36 — 37. —



rege missum esse. Quae quidem negotia qualia fuerint etsi in universum ignoramus, unum tamen ex ipso Aristobulo (ap. Arr. Exp. Alex. VI. c. 29. §. 15. sqq. cf. Strab. T. VI. p. 208. sqq.) accuratius compertum habemus. Etenim Alexander, quum post Indicam expeditionem per Caramaniam in Persidem profectus Pasargadis magni Cyri sepulcrum sacrilegis manibus spoliatum ac turpiter devastatum invenisset, huius monumenti restaurandi et ornandi curam Aristobulus sibi refert esse demandatam. Unde probabile fit, artium mathematicarum et architecturae eum haud imperitum fuisse, et Alexandrum in similibus monumentis novisque urbibus condendis eius opera saepius fortasse usum esse, certe ducibus Alexandri neque ab Arriano neque ab alio vetere scriptore annumeratur. [1]) — Longissimam Aristobulo aetatem contigisse, quae etiam nonaginta annorum numerum excederet, docemur ex Luciani loco (Macrob. §. 22.). Ipse autem scriptor in fronte operis sui professus erat, sese senem demum octoginta quattuor annorum Alexandri res conscribere coepisse. [2]) — Neque terram et urbem ignoramus, ubi Aristobulus senex degerit et Alexandri historiam concinnaverit, quandoquidem apud Lucianum (l. c.), Plutarchum (Vit. Demosth. c. XXIII.), Athenaeum (II. p. 43. D. VI. p. 251. A) saepius *Κασσανδρεὺς* nuncupatur. Atqui Cassandream urbem octavo demum anno post Alexandri mortem (Ol. 116, 2. 315. a. Chr.) a Cassandro, Antipatri filio, eodem fere loco conditam esse constat, ubi Olynthus olim fuerat. [3]) Itaque Aristobulus non eam ob causam Cassandrensis dici poterat, quod in hac urbe natus esset, sed quod postremos aetatis annos ibi degisset. Quae res haud sane minimi momenti est ad huius viri vitam et scripta recte iudicanda. Primum enim hinc satis certo licet colligere, Aristobulum in bellorum ac turbarum vicissitudinibus, quae Alexandri

1) Quare confidentius quam verius narravit Santo-Crucius (l. c. p. 42.): „Aristobule de Cassandrée en Macédoine fut un des généraux d'Alexandre." — 2) cf. Lucian. l. c. et Arr. Praef. Exp. Alex. — 3) cf. Diod. XIX. c. 52. Pausan. V. c. 123. §. 2. —

mortem insequutae sunt, ab Antipatri et Cassandri partibus stetisse. Deinde quamvis ineptum esset ac temerarium, eiusdem invidiae et odii hunc scriptorem accusare, quibus Cassander in Alexandrum flagrasse traditur: haud absona tamen videtur coniectura, hanc quoque rem aliquatenus ad frigidum et siccum scribendi genus pertinuisse, quod Aristobulus in Alexandri rebus narrandis unus omnium aequalium scriptorum usurpaverit. Namque, quod alibi uberius exponetur, quaecunque Alexandrum heroica quadam audacia non sine numine peregisse plerique aequales lubenter credebant et alii scriptores data opera asserebant: ubique fere hic auctor vel negabat vel ad vulgares et naturales leges ac rationes revocabat. Veluti quum ab reliquis omnibus historicis uno ore narretur notissimum illud nodi Gordii omen ab Alexandro vel „impletum vel elusum esse," ut ait Curtius, eo quod gladio omnia eius lora disciderit, id quod heroico Pellaei iuvenis ardori egregie responderit: unus Aristobulus auctor est, regem exempto paxillo et iugo temoni detracto non altiore quodam spiritu inflatum sed solo mentis acumine in hominem mathematicum potius quam heroa conveniente et nodi vinculum et oraculi sortem solvisse.[1]) His vehementer videntur refragari, quae de eodem scriptore apud Lucianum (quom. hist. sit conscr. §. 12.) perhibentur. Ibi enim Lucianus eos historicos perstringens, qui eorum quos collaudent gratiam ac benevolentiam humiliter aucupentur, nec raro eo procedant, ut propter turpissimum et apertissimum adulationis studium ne illud quidem quod unice cupiant illi nanciscantur, sic pergit: *οἱ γὰρ ἐπαινούμενοι πρὸς αὐτῶν μισοῦσι μᾶλλον καὶ ἀποστρέφονται ὡς κόλακας, εὖ ποιοῦντες, καὶ μάλιστα ἢν ἀνδρώδεις τὰς γνώμας ὦσιν· ὥσπερ Ἀριστοβούλου μονομαχίαν γράψαντος Ἀλεξάνδρου καὶ Πώρου, καὶ ἀναγνόντος αὐτῷ τοῦτο μάλιστα τὸ χωρίον τῆς γραφῆς (ᾤετο γὰρ χαριεῖσθαι τὰ μέγιστα τῷ βασιλεῖ, ἐπιψευδόμενος ἀριστείας τινὰς αὐτῷ, καὶ*

1) Arr. Exp. Alex. II. c. 3. §. 13. cf. Plut. Vit. Alex. c. XVIII. Curt. III. c. 1. §. 14. Iustin. XI. c. 7. §. 3. —



*ἀναπλάττων ἔργα μείζω τῆς ἀληθείας) λαβὼν ἐκεῖνος τὸ βιβλίον (πλέοντες δ' ἐτύγχανον ἐν τῷ ποταμῷ τῷ Ὑδάσπει) ἔρριψεν ἐπὶ κεφαλὴν ἐς τὸ ὕδωρ, ἐπειπὼν, καί σὲ δὲ οὕτως ἐχρῆν, ὦ Ἀριστόβουλε, τοιαῦτα ὑπὲρ ἐμοῦ μονομαχοῦντα καὶ ἐλέφαντας ἑνὶ ἀκοντίῳ φονεύοντα.* — Quae narratio quum et tempori vehementer repugnet, quo Aristobulum Alexandri res scimus conscripsisse, et a veracitatis laude ab Arriano potissimum huic scriptori tributa prorsus abhorreat: Santo-Crucius (l. c. p. 43.) aut ab ipso Luciano aut a librariis Aristobulum perperam hoc loco cum Onesicrito putat esse confusum, ad quam opinionem Heerenius quoque (De fontt. et auct. vitt. parall. Plut. p. 64. annot.) accedere videtur. At vero haec duo nomina toto coelo inter sese diversa misceri potuisse, insignem etiam librariorum oscitantiam et incuriam videtur excedere, neque ipsum auctorem eo negligentiae progressum esse credibile est. Haud temere igitur Schmiederus (Praef. ad Arr. Exp. Alex. p. XXIV.) hanc coniecturam plane reiiciendam arbitratus: „Quidni credamus, inquit, eundem Aristobulum Alexandro vivo fortunae suae per adulationem subvenire voluisse qui eo mortuo veram eius historiam ipse senex scriberet?" Et profecto, siquidem vera tradidit Lucianus, neutiquam fidem superat, Aristobulum olim inter ipsas expeditiones ex communi plurimorum aequalium more Alexandri res multis fabularum lenociniis ornatas narrare aggressum, ex ipsa fortasse regis reprehensione, relicto humili et futili hoc scribendi genere, posteriori tempore in contrariam viam discessisse, quo certe aliquo modo illud quoque videtur valuisse, quod, uti supra coniectavimus, postea Cassandri, hominis ab omni Alexandri amore et admiratione alieni, partes sequebatur. Ceterum tantum abest, ut quod Arrianus de Aristobulo fecit iudicium improbemus, ut hunc scriptorem si quem alium de Alexandri historiis optime meruisse censeamus, eumque post Ptolemaeum omnium veracissimum appellare non dubitemus. Illud unum fortasse verendum est, ne hic scriptor, quum antea nimio Alexandri rerum celebrandarum studio

inflammatus commenta et fabulas captaret, hoc vitium evitaturus in contrarium illud cucurrerit, ut nimio frigore ac siccitate, quae revera ab Alexandro singulariter et mirifice gesta essent, ad suam ipsius opinionem ille referens et interpretatus nonnunquam vel minus recte iudicaret vel minus vere narraret. — Denique quod ad ipsum Aristobuli librorum argumentum attinet, certissime licet affirmare satis largam ac variam materiem iis fuisse comprehensam. Namque praeter res, quae ad Alexandri historiam propius pertinerent, Aristobulum terrarum ac populorum descriptioni operam dedisse uberioresque de rebus geographicis et physicis, quas Ptolemaeum vix attigisse vidimus, excursus operi suo intexuisse ex multis fragmentis colligitur. [1]) Ita de montibus (ap. Arr. Exp. Alex. III. c. 28. §. 8), fluviis (ibid. III. c. 30. §. 13. et Strab. T. IV. p. 519. VI. p. 261.), fontibus (ap. Athen. II. p. 435.), insulis (ap. Arr. l. c. et VII. c. 20. §. 9.), de terrarum tempestate ac situ (ap. Strab. T. VI. p. 29—32. 36—37. 44—46. 74.), de urbium nominibus et incolarum moribus (ap. Athen. XII. p. 513. Arr. Exp. Alex. V. c. 20. §. 3. Strab. T. VI. p. 129.), de arborum, plantarum, bestiarum natura (ap. Arr. l. c. VI. c. 22. §. 7. Strab. T. IV. p. 463. VI. p. 34. 44.—46. 97.) data opera Aristobulum egisse scimus. — Unde haud improbabile id quod iam Vossius (de Hist. Gr. I. c. 10.) olim coniecit, librum περὶ λίθων ap. auct. de Fluv. c. XIV. citatum ab eodem Aristobulo, neque physicarum neque mathematicarum rerum imperito, esse concinnatum.

---

## Cap. IV.

### *Onesicritus Astypalaeensis.*

Ex eorum scriptorum Alexandro M. aequalium numero, qui vel ducum munere vel alio ministerio apud

1) Videat igitur doctissimus Petrus de Bohlen, quo iure (de Vet. Ind. T. I. p. 73.) Aristobuli libros Ephemeridum nomine notaverit. —



regem functi fide digniores quam rhetores isti Callisthenes, Clitarchus, Anaximenes sint iudicandi, unum Onesicritum esse eximendum supra iam contendimus. Cuius de viri vita et scriptis post Santo-Crucium recentissimo tempore disseruit M. H. E. Meierus in Erschii et Gruberi litterarum et artium Encyclopaedia Sect. III. P. III. p. 455. sqq. —

De Onesicriti patria Diogenes Laertius (VI. §. 84.) haec tradidit: τοῦτον οἱ μὲν Αἰγινήτην, Δημήτριος δὲ ὁ Μάγνης Ἀστυπαλαιέα φησί [1]). Temere igitur Bennerus (ad Lucian. Macrob. §. 14.) dubitationem movit, num Onesicritus Astypalaeensis idem habendus sit qui Aeginensis; haud improbabile potius, id quod Meierus coniecit, eundem Onesicritum in insula altera natum, in altera posteriori tempore esse commoratum vel civitate ab ea donatum. Ex iis vero quae infra exposita sunt colligitur, Onesicritum ante Alexandri expeditionem aliquamdiu in Aegina insula degisse, post regis autem mortem in neutram insulam rediisse. — Diogenis Cynici Onesicritum disciplina usum esse docemur ex Plutarcho (Vit. Alex. c. LXV.) et Diogene Laertio (l. c.) qui eum τῶν ἐλλογίμων Διογένους μαθητῶν unum fuisse ait. Quomodo Onesicritus in hanc disciplinam venerit, ab eodem Laertio (VI. §. 75.) sic narratur: θαυμαστὴ δέ τις ἦν περὶ τὸν ἄνδρα (Διογένη) πειθώ, ὥστε πάνθ' ὁντινοῦν ῥᾳδίως αἱρεῖν τοῖς λόγοις· λέγεται γοῦν Ὀνησίκριτόν τινα Αἰγινήτην πέμψαι εἰς Ἀθήνας δυοῖν ὄντοιν υἱοῖν τὸν ἕτερον Ἀνδροσθένην, ὃν ἀκούσαντα τοῦ Διογένους αὐτόθι προσμεῖναι· τὸν δ' ἐπ' αὐ-

---

1) Ita hoc nomen rectissime exhibuit Menagius ad h. l. pro vulgari scriptura Ἀστυπαλέα. Idem v. d. apud Aelianum (de Animal. XVI. c. 39.), ubi eadem patria Onesicrito assignatur pro scriptura vulgari Ἀστυπαλαῖος scribendum censet Ἀστυπαλαιεύς. — Maiore etiam scripturae discrepantia quam in patriae nomine Codd. Mss. in ipso Onesicriti nomine laborant. Namque apud Plutarchum (Vit. Alex. c. VIII.) olim scribebatur Ὀνησικράτης, apud Lucianum (quom hist. sit conscr. §. 40.) Ὀνησίκρατες, apud Strabonem nunc Ὀνησίκρητος nunc Ὀνησίκρατος. Sed plurimi libri habent Ὀνησίκριτος. Cf. Solan. ad Lucian. l. c. et Gronv. ad Arr. Exp. Alex. I. p. 257. not. 6. —

*τὸν καὶ τὸν ἕτερον ἀποστεῖλαι τὸν πρεσβύτερον Φιλίσκον, ὁμοίως δὲ καὶ τὸν Φιλίσκον κατασχεθῆναι· τὸ τρίτον αὐτὸν ἀφικόμενον μηδὲν ἧττον συνεῖναι τοῖς παισὶ φιλοσοφοῦντα.* — Onesicritus igitur quum duos iam filios haberet ad Diogenis philosophiam percipiendam maturos, procul dubio aetate iam provectior Alexandrum in Asiam sequutus est. Idem de Anaximene Lampsaceno demonstravimus, quem non minus quam Onesicritum Diogenis Cynici discipulum fuisse constat. Hinc qui factum sit, ut Onesicritus posteriori tempore Alexandro M. innotesceret, aliquatenus certe licet coniectare. Ambo enim hi viri et annis fere aequales et eiusdem disciplinae alumni quin etiam familiaritate inter se iuncti fuerint vix potest dubitari. Quare Anaximenes Alexandri gratia obstrictus comitari eum et scriptis celebrare quum statuisset, Onesicritum fortasse in eiusdem rei societatem advocavit et Alexandri favori postea insinuavit. — Ceterum Onesicritus non tam philosophiae quam earum artium videtur peritus fuisse, quae ad externum quendam vitae usum pertinent. Ita res nauticas sic callebat, ut ab Alexandro in Indica expeditione regiae navis gubernator eligeretur. [1]) Verumtamen ne hac quidem in re arrogantiae et temeritatis vituperium evitavit. Primum enim, ut ait Arrianus (l. c.), *ἐν τῇ συγγραφῇ ἥντινα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ξυνέγραψε καὶ τοῦτο ἐψεύσατο, ναύαρχον ἑαυτὸν εἶναι γράψας κυβερνήτην ὄντα.* [2]) Deinde idem Onesicritus una cum Nearcho a rege ad Indiae oras maritimas circumnavigandas missus quum extrema Arabiae ora conspecta classem huc appellere iussisset, ab ipso Nearcho temeritatis inconsideratae in

1) cf. Arr. Exp. Alex. VI. c. 2. §. 6. Hist. Ind. XVIII. §. 9. Plut. Vit. Alex. c. LXVI. — Hinc quoque probabile fit, Aeginam insulam, navigatorum genitricem, Onesicritum aliquamdiu civem habuisse. Quod enim Plutarchus (de Fort. Alex. Or. I. p. 331.) hoc munus ex insigni gratia et favore, quibus Alexander omnes omnino philosophos foverit, derivandum opinatur, vereor ne philosopho artis navigandi imperito nunquam rex vitam et salutem in rapidis Indiae fluminibus traditurus fuerit. — 2) Quare etiam apud Plinium (N. H. VI. c. 24. init.) „classis Alexandri praefectus" audit.



crimen vocatus est. [1]) — Nihilominus Onesicritus haud mediocri apud Alexandrum gratia videtur floruisse. Etenim in India ad varia negotia expedienda eum a rege missum scimus, in quibus celeberrima est legatio ad Gymnosophistas ab ipso Onesicrito accurate et sine solita mendaciorum nube prodita; [2]) post Indicam vero navigationem feliciter peractam una cum Nearcho Susis ab Alexandro est coronatus. [3])

Hic igitur vir, et sermonum et consuetudinis qui videtur suavitate floruisse, inter ipsas Alexandri expeditiones ad eius res conscribendas sese accingebat. Namque Lucianus (quom. hist. sit conscr. §. 40.), ubi eorum historicorum scribendi rationem corripit, qui rebus praesentibus unice inserviant et adulatorum nomine iure notentur, de Onesicrito hoc memorabile Alexandri dictum affert: „*ἡδέως ἂν πρὸς ὀλίγον ἀνεβίουν, ὦ Ὀνησίκριτε, ἀποθανών, ὡς μάθοιμι, ὅπως ταῦτα οἱ ἄνθρωποι τότε ἀναγινώσκουσιν· εἰ δὲ νῦν αὐτὰ ἐπαινοῦσι καὶ ἀσπάζονται, μὴ θαυμάσῃς· οἴονται γὰρ οὐ μικρῷ τινι τῷ δελέατι τούτῳ ἀνασπάσειν ἕκαστος τὴν παρ' ἡμῶν εὔνοιαν.*" His vero quamquam evincitur, Onesicritum inter ipsas expeditiones nonnulla commentariis consignasse, procul dubio tamen totum eius opus post regis demum mortem est elaboratum. Hoc etiam Plutarchi locus (Vit. Alex. c. XLVI.) videtur indicare, quo docemur, Onesicritum multo post Alexandri mortem Lysimacho Thraciae iam regi facto quartum historiarum librum recitasse. Unde probabile fit, hunc scriptorem multo post Alexandri mortem Lysimachi partes sequutum eumque in Thraciam comitatum, quas intra ipsas expeditiones historias scribere coepisset, ibi perfecisse. Tantum vero abest, ut Onesicritus pariter atque Aristobulus ab ipso Alexandro reprehensus putidam et ineptam fabula-

1) cf. Arr. Exp. Alex. VII. c. 20. §. 16. Hist. Ind. XXXII. §. 9. et nos infra c. V. p. 32. et 33. — 2) cf. fragm. ap. Strab. T. VI. p. 133. sqq. Plut. Vit. Alex. c. LXV. et Bohlen. de Vet. Ind. I. p. 279. — 3) cf. Arr. Exp. Alex. VII. c. 5. §. 9.

rum captationem posteriori tempore sperneret, ut ab ipso Lysimacho ridicula eius mendacitas perstringeretur. Audita enim de Amazone quae Alexandrum convenerit narratiuncula, subridens ille: „*καὶ ποῦ*, inquit, *τότ' ἤμην ἐγώ; ταῦτα μὲν οὖν ἄν τις οὔτ' ἀπιστῶν ἧττον, οὔτε πιστεύων μᾶλλον Ἀλέξανδρον θαυμάσειε.* — Itaque omnes fere veteres scriptores, quotquot Onesicriti mentionem fecerunt, malam eius fidem non omiserunt vituperare. Primum enim Arrianus, qui paucis tantum, quos supra citavimus, locis hunc scriptorem attigit, quid de eo iudicaverit uno loco (Exp. Alex. VI. c. 2. §. 6.) satis aperte indicavit; dein Plutarchus, etsi pluribus locis eum commemoravit (cf. Vit. Alex. c. VIII. XV. XLVI. LX. LXI. LXV. LXVI.), quam suspectam eius fidem habuerit, ex narratione ista de Lysimacho supra allata luculenter apparet, Gellius quoque (N. A. IX. c. 4.) hunc scriptorem inter auctores historiarum fabulosarum retulit et cum Aristea Proconnesio, Isigono, Ctesia, Polystephano, Hegesia composuit; acerrime denique eum taxavit Strabo (T. VI. p. 61.), qui narratione de duobus serpentibus allata, quorum alter centum et octoginta, alter centum et quadraginta ulnarum magnitudinem aequaverit, Onesicritum huius exaggerationis auctorem „*οὐκ Ἀλεξάνδρου μᾶλλον ἢ τῶν παραδόξων ἀρχικυβερνήτην*“ censet esse appellandum; quamquam addit iudex cautissimus: *λέγειν δ' οὖν τινα καὶ πιθανὰ καὶ μνήμης ἄξια, ὥστε καὶ ἀπιστοῦντα μὴ παρελθεῖν αὐτά.* —

Onesicriti commentariorum argumentum Diogenes Laertius (VI. c. 4. §. 84.) cum Xenophontis scriptis comparavit. Verba eius haec sunt: *Ἔοικε δέ τι ὅμοιον πεπονθέναι (Ὀνησίκριτος) πρὸς Ξενοφῶντα· ἐκεῖνος μὲν γὰρ Κύρῳ συνεστράτευσεν, οὗτος δὲ Ἀλεξάνδρῳ· κἀκεῖνος μὲν Παιδείαν Κύρου, ὁ δὲ πῶς Ἀλέξανδρος ἤχθη γέγραφε· καὶ ὁ μὲν ἐγκώμιον Κύρου, ὁ δὲ Ἀλεξάνδρου πεποίηκε· καὶ τῇ ἑρμηνείᾳ δὲ παραπλήσιος, πλὴν ὅτι ὡς ἀπόγραφος ἐξ ἀρχετύπου δευτερεύει.* [1]) Quam quidem comparationem vehemen-

1) Postrema haec verba ex Laertio sumta exstant etiam ap. Suid. v. *Ὀνησίκριτος*.



ter claudicare verissime **Meierus** annotavit, qui illud quoque iure miratur, quod Anabasis Xenophonteae et Onesicriti de Alexandri expeditione commentariorum similitudo hoc loco sit praetermissa, eiusque rei verisimilem causam hanc posuit, quod Alexandri et educatio et expeditio et laudatio eodem opere fuerint comprehensae. Onesicriti enim opus de Alexandri rebus conscriptum per multos libros fuisse digestum, etiam inde colligitur, quod fabula de Amazonum regina quarto demum libro legebatur. Optime autem magnus huius operis ambitus ex ipsa argumenti copia et varietate evincitur. Namque praeter rerum gestarum et expeditionum historiam neque quae privatim ab Alexandro gesta essent neglexit, et quae in singulis terris ac populis memorabilia ac mirabilia reperirentur data opera exposuit et more suo ornavit atque exaggeravit. Ita, quod ad privatam Alexandri vitam attinet, ex Onesicrito hausta sunt, quae narrat Plutarchus (Vit. Alex. c. VIII.) de Iliade, quam una cum mucrone rex semper sub pulvinari secum habuerit, et de Philisti historiis atque Euripidis, Sophoclis, Aeschyli tragoediis, Telestique et Philoxeni dithyrambis, quos libros rex aliquando ab Harpalo ad se mitti iusserit. De geographicis autem aliisque id genus rebus memoratu dignis plurima exempla extant apud Strabonem, quem multa etiam praeclara quae ad instituta spectarent et mores Persarum, Bactrianorum, Indorum, ex Onesicrito deprompsisse verissime Siebenkeesius (Praef. ad Strab. p. XVIII.) observavit. Imprimis vero, id quod nemo mirabitur, Indiae regiones, tum primum Graecis accuratius cognitae, huic scriptori, sponte iam fabularum et miraculorum sectatori, tanquam amplissimus nova quaeque comminiscendi campus patebant, quo quemadmodum ille usus sit, optime apparebit, si eius narrationes cum iis contuleris, quae ab Aristobulo, Megasthene aliisve fide dignioribus auctoribus iisdem de rebus tradita sunt. Ita ut hoc utar (ap. Strab. T. VI. p. 41. sqq.) Aristobulus narravit, ad Acesinem fluvium fuisse arborem, cuius sub umbra quinquaginta equites meridiari po-

tuerint: [1]) Onesicritus vero (ibid.) hoc numero minime contentus eiusdem arboris umbra quadringentos equites tectos esse contendit. Alio loco (T. VI. p. 93.), ubi Strabo vere narrari dixit, plerorumque elephantorum aetatem adaequare vitae longaevissimorum hominum, nonnullos etiam ad ducentesimum annum pervenire: Onesicritus non minus omnia exaggerans plerosque elephantos trecentos, nonnullos etiam quingentos annos vivere perhibuit. Eadem ratio est narrationum de Indiae magnitudine (ap. Strab. T. VI. p. 22. sqq. cf. Bohlen. l. c. T. I. p. 11.) et Pattalae, Indiae regionis duobus Indi alveis interiacentis, forma et ambitu (ap. Strab. T. VI. p. 74. cf. Bohlen l. c. p. 17.). — Sic falsa veris immiscens ille commentariis suis de Indiae aliarumque terrarum plantis, fluviis (cf. fragm. ap. Strab. l. c. p. 25. 38. 188.), animalibus (cf. ibid. p. 61. Ael. de Animal. XVI. 39. XVII. 6. Plin. VI. 24. Tzetz. Chil. III. 940.) aliisque id genus rebus egerat (cf. fragm. ap. Strab. T. IV. p. 514. VI. p. 113. et 166.). De Gymnosophistis, ad quos ipse ab Alexandro missus erat, praeter Plutarchum (Vit. Alex. c. LXV.) et Strabonem (T. VI. p. 133.) Lucianus quoque (de mort. Peregr. §. 25.) huius scriptoris testimonio usus est. Quod vero ex alio Luciani loco (Macrob. §. 14.) Meierus coniecit, Onesicritum commentariis suis etiam antiquiorem Persici regni historiam data opera tractasse, illud neque negare ausim neque affirmare. Poterat Onesicritus quod magnum Cyrum tradidit centesimo aetatis anno vita excessisse ipsi Alexandri rerum narrationi ita intexere, ut reliqua Persici regni historia ne verbo quidem attingeretur. Quid enim, ut hoc utar, impedit quominus auctorem diuturnam magni Persarum regis vitam cum immaturo Alexandri interitu comparasse ponamus?

Iam vero quod ad Onesicriti scripta attinet, una restat quaestio satis impedita ac salebrosa necdum accuratius a quoquam tractata de paraplo, quem sub Onesicriti

1) Procul dubio haec arbor fuit ficus Indica sive Asvatha quae lingua sanscrita appellatur. cf. Bohlen. de Vet. Ind. I. p. 59.



nomine a Iuba rege et scriptore notissimo editum esse ex difficillimo Plinii loco (N. H. VI. c. 26.) cognitum est.

Navigationem illam ab Indi capitibus usque ad sinum Persicum et Euphratis ostia Alexandri iussu Nearcho et Onesicrito ducibus revera esse institutam atque peractam, vel ii non ausi sunt in disceptationem vocare, qui huius navigationis descriptiones, quae sub Nearchi et Onesicriti nominibus extiterint et magnam partem hodie extent, his auctoribus confidentissime abiudicandas censuerunt. [1]) Atqui ea de re nemo intercedet, quo minus horum virorum uterque quaecunque memoratu digna inter hanc navigationem ipsis evenissent accuratissime et annotaverit et ad regem rerum geographicarum studiosissimum (cf. Strab. T.I. p. 187. et Arr. Hist. Ind. XXXII. §. 14. sqq.) retulerit. Quare Onesicritum (de Nearcho enim infra videbimus) aliquando huius navigationis descriptionem scripsisse extra omnem dubitationem videtur positum esse. Quaeritur tantum, primum num Onesicritus singularem librum Parapli titulo inscriptum ipse ediderit, deinde num quae a Iuba Mauritano sub hoc titulo primum cum Romanis communicata sunt ad Onesicritum auctorem iure sint referenda? — Utrumque praefracte negavit Dodwellus (l. c.), atque aliquatenus nos quoque ei assentimur, quamvis quae in universum vir doctus dictione satis diffusa hoc loco disputavit, et aliis erroribus scatent et eam potissimum ob causam notanda sunt, quod Onesicritum eiusque scripta neque, ut par erat, cognita habet neque a Nearcho eiusque scriptis probe discernit. Nimirum nobis quoque persuasum est, nunquam ab Onesicrito singularem scriptionem editam esse, quae Parapli titulum in fronte gereret, quia, id quod vere Dodwellus observavit, uno Plinii loco excepto ne lenissimum quidem eius rei vestigium reperitur. Quid vero de Plinii loco sit statuendum, mox videbimus. Quid igitur? Num credibile est, navigationis istius descriptionem

1) Dodw. Dissert. de Arr. Nearch. §. 6. (in Arr. Hist. Ind. ed. Schmied. p. 243.) et Bohlen. de Vet. Ind. I. p. 70.

ab Onesicrito litteris quidem mandatam neque vero postea editam esse? Minime vero. Non est quod dubitemus, quin in universo opere quod de Alexandri rebus composuit huius quoque navigationis descriptionem auctor exhibuerit et solita fabularum ac miraculorum nube involverit. — Quid quod ipsa huius operis fragmenta luculenta eius rei indicia suppeditant. Huc referendum est fragmentum, quod legitur ap. Ael. de Animal. XVII. c. 6., ubi de monstris maritimis agitur, quae ad Gedrosiae oram conspecta integri stadii expleverint longitudinem. Neque minus huc spectant, quae ap. Strab. T. VI. p. 27. sqq. ex eodem auctore de Taprobanes insulae magnitudine mirabilibusque animalibus in ea natis afferuntur, itemque (ib. p. 38.) de Indiae ora maritima, de fluminum capitibus ventisque marinis. Quibus evincitur, reliquis de Alexandri rebus commentariis huius quoque navigationis descriptionem interpositam fuisse. [1]) Quoniam vero Onesicritum in toto opere lectorum non tam utilitatem et doctrinam quam voluptatem ac delectationem spectasse scimus, haud secus eum in hac particula, quae navigationem istam tractaret, egisse sponte apparet. Quare quod aliis Paraplorum vel Periplorum auctoribus unice propositum erat, ut accuratissima et locorum relatione et spatiorum dimensione exposita lectores de rebus geographicis docerent, Onesicriti consilio neutiquam erat consentaneum, utpote qui iucunda fabularum et miraculorum narratione animos allicere studeret ac delinire. Ad haec apte quadraret vexatissimus ille Plinii locus (N. H. V. c. 26.), quo narratur, Onesicriti navigationem nec nomina habere mansionum nec spatia, dummodo ne haec verba ad

1) Siquidem ex Diogenis Laertii loco (VI. §. 84.) haud temere licet coniectare, singulis Onesicriti operis partibus inscriptiones quasdam ita fuisse praepositas, ut alia pars, ubi Alexandri educatio tractabatur „πῶς Ἀλέξανδρος ἤχθη," alia, quae Alexandri laudationem continebat „Ἀλεξάνδρου ἐγκώμιον" inscriberetur; quid statuere vetat, eam huius operis partem, quae navigationis descriptionem exhibebat, παράπλουν inscriptam fuisse? cf. sup. p. 25.



Nearchi quoque navigationem essent referenda; et, quod gravissimum est, quae sequuntur praefracte his repugnant. Verba enim Plinii quae vulgo leguntur, sunt haecce: „Onesicriti et Nearchi navigatio nec nomina habet mansionum nec spatia: primumque Xylenepolis ab Alexandro condita, unde ceperunt exordium, iuxta quod flumen aut ubi fuerit non satis explanatur. Haec tamen digna memoratu produntur sqq." Iam vero plurima et mansionum nomina et spatia ex eadem Onesicriti navigatione afferuntur, cui talia inesse diserte in antecedentibus Plinius negavit. — Hinc factum est, ut hic locus crux esset omnium virorum doctorum, qui Onesicriti et Nearchi navigationem attigerunt; interpretes enim, quos equidem consului, parum hanc rem videntur curasse. Ex illis autem viris doctis alius aliter loci difficultatem expedire conatus est. Dodwellus enim (l. c. p. 241.) Plinii verba ita interpretatur, quasi vero dixerit, „non continua exhiberi apud Nearchum et Onesicritum mansionum nomina et spatia, quemadmodum extent in antiquis itinerariis Antonini etc." Contra hanc interpretationem verissime quidem Vincentius (Refut. Dodw. in Arr. Hist. Ind. ed. Schmied. p. 257.) monuit, continua spatia a Dodwello inventa esse neque vero Plinii verbis indicari; verumtamen ipse hic vir doctus satis habet Plinium erroris et inconstantiae accusare, locumque istum ut corruptissimum reiiciendum arbitratur. Santo-Crucius [1]) ita olim hunc locum emendandum proposuit, ut negationem in affirmationem mutandam opinaretur, quam quidem audaciam non tantam esse dicit Vincentius, „quae nulla licet auctoritate firmata propter corruptissimum Plinii textum excusari non possit." — Hae fere sunt quas equidem novi, virorum doctorum de hoc loco opiniones, qui omnes locum non sanum esse recte quidem senserunt, unicam vero qua sanandus est medelam non invenerunt.

1) In priori Examinis Critici editione (cf. Vincent. l. c. p. 257.); namque in altera editione anni MDCCCIV. Santo-Crucius Dodwelli refutatione omnino supersedit. Cf. p. 746. ann. 4. —

Procul dubio enim locus ita est emendandus: „Onesicriti et Nearchi navigatio nec nomina omnia habet mansionum nec spatia sqq.;" qua emendatione probata planissime omnia procedunt. Iam enim Plinii loco nihil aliud docemur, quam quod etiam ultro erat consentaneum, Onesicriti et Nearchi navigationis descriptione neque mansionum nomina neque spatia omnia tam accurate fuisse consignata, quam Plinii aetate cognita essent. Haud pauca tamen etiam ab iis nomina et spatia prodita esse, ex ipsius Plinii quod sequitur breviario optime intelligitur.

Deinde vehementer viri docti, inter quos Dodwellus, mirati sunt, quod vix et ne vix quidem similitudo intercedat inter hoc Plinii breviarium et Nearchi paraplum apud Arrianum magnam partem exscriptum. Primum vero doctissime Vincentius Plinii breviarium neutiquam cum Nearchi paraplo evicit esse insociabile: deinde, ut Plinius et Arrianus maxime inter se discrepent, quid quaeso hoc mirum videri potest, quum apud Arrianum unius Nearchi narratio exhibeatur, apud Plinium mansionum nomina ac spatia tum ex Nearchi tum ex Onesicriti navigationis descriptione hausta sint? Accedit, id quod gravissimum est, Plinium hoc loco non ipsius Onesicriti narrationem, quam de navigatione ista eum commentariis suis intexuisse supra evicimus, sed eam scriptionem ante oculos habuisse, quam Iuba Mauritanus sub Onesicriti nomine proxime ediderat. Verba enim Plinii haec sunt: „Sed priusquam haec generatim persequamur (i. e. quae de quattuor satrapiis disserere inchoavit. cf. c. XXV. init.), indicare convenit, quae prodit Onesicritus, classe Alexandri circumvectus in mediterranea Persidis ex India, narrata proxime a Iuba: dein eam navigationem sqq." — Videamus igitur, quid de hoc Iubae libro statuendum sit. — Iubam Mauritanum a Caesare Romam in triumphum ductum et Romanis disciplinis institutum „studiorumque claritate mirabiliorem etiam quam regno" factum cum aliorum scriptorum tum libri de expeditione Arabica, C. Caesari Augusti



filio dedicati, auctorem fuisse scimus. [1]) Unde colligitur rerum quoque geographicarum studium a Iuba non neglectum esse. Quid igitur mirum, quod hic vir Romanos harum rerum etiamtum satis imperitos de orae maritimae et maris Erythraei parte Euphrati et Indo interiecta melius edocturus celeberrimam Onesicriti et Nearchi navigationem in suum usum convertit, eorumque scriptis ita usus est, ut, quae apud utrumque memoratu digna sibi viderentur, mixta fortasse doctioribus sequiorum Alexandrinorum de his locis narrationibus, scriptis mandaret eamque scriptionem ex more huius aetatis Onesicriti Paraplum appellaret? — Quodsi ita statuas, neque milliaria Romana cum Dodwello mirabimur neque illud cum eodem (p. 242.) nos offendet, quod, quae ex unius Onesicriti navigatione Plinius prodere pollicitus erat, mox non minus de Onesicrito quam Nearcho praestitit. Optime vero hinc explicatur, qui tanta intercedere queat discrepantia inter Plinii locum atque Arriani Historiam Indicam. Quid multa? Nostra accepta huius loci emendatione et interpretatione nihil prorsus in eo difficultatis residebit.

At enim si quis male cautus etiamnum haesitaverit, aliud argumentum in promptu est, quod vel pertinacissimo adversario de nostra sententia persuadeat. — Etenim Plinius aliis quoque locis haud raro Onesicritum in partes vocavit. Ita N. H. II. c. 75. ex Onesicrito refertur, in India supra flumen Hypasin solstitii die medio nullam omnino umbram iaci; [2]) alio loco (VII. c. 2.) Plinius Onesicrito teste tradidit, „quibus locis Indiae umbrae non sint, corpora hominum cubitorum quinum et binorum palmorum existere, et vivere annos centum triginta, nec senescere, sed ut medio aevo mori;" alibi (XII. c. 18.) de arboribus memorabilibus in Hyrcaniae convallibus ortis, alibi (XV. c. 19.) de Hyrcaniae ficis Italicis dulcioribus, alibi (VI. c. 24.) de elephantorum in Taprobane insula viventium natura ad Onesicriti testimonium

1) cf. Plin. N. H. V. c. 1. et VI. c. 31. — 2) Aliter res narratur apud Arr. Hist. Ind. c. XXV. §. 4. cf. Schmied. ad h. l. —

provocavit. Atqui ne verbo quidem his locis Iubae Mauritani a Plinio mentio facta est. Quid ergo causae fuit, quod uno loco (VI. c. 26.) „quae Onesicritus classe Alexandri in mediterranea Persidis circumvectus prodiderit, a Iuba proxime narrata esse" Plinius annotavit? — Nihil aliud, credo, quam quod reliquis locis Plinius ipsius Onesicriti commentariis usus est, hoc uno autem loco mansionum nomina et spatia non de hoc Onesicriti opere sed de scriptione illa, quam Iuba sub Onesicriti nomine ediderat, excerpsit. — Hinc denique apparet, qui factum sit, ut Plinius quibus locis de plantis, animalibus aliisque id genus rebus memorabilibus egit, unum Onesicritum excitaret, uno autem loco (VI. c. 24. cf. c. 28. et 30.), quo mansionum nomina locorumque spatia attulit, Nearchum iuxta Onesicritum appellaret.

---

## Cap. V.

### *Nearchus Cretensis.*

Inter eos scriptores Alexandro M. aequales, qui particulam tantummodo ex eius vel vita privata vel rebus gestis commentariis oonsignarunt, primum locum obtinet N e a r c h u s, Androtimi filius, Arriano teste *τὸ γένος μὲν Κρὴς, ᾤκει δὲ ἐν Ἀμφιπόλει τῇ ἐπὶ Στρυμόνι* [1]. — Hunc

1) Arr. Hist. Ind. c. XVIII. — Huic Arriani loco omnino refragatur Steph. Byz. v. *Λητή*, ubi haec leguntur: *Λητὴ, πόλις Μακεδονίας ἀπὸ τοῦ πλησίον ἱδρυμένου Λητοῦς ἱεροῦ, ὡς Θεαγένης Μακεδονικοῖς, τὸ ἐθνικὸν Λητaῖος· οὕτω γὰρ ἱστορεῖται Νέαρχος Λητaῖος, τῶν Ἀλεξάνδρῳ τῷ μεγάλῳ συστρατευσαμένων ὁ διασημότατος.* — Recte enim pro v. *Νίκαρχος*, quod male olim in omnibus edd. et mss. legebatur, N e a r c h i nomen hoc loco reposuerunt intpp. ad h. l. Inter quos B e r k e l i u s Arriani discrepantiae haud immemor Stephanum aperti erroris arguit, cuius originem argutius ex depravato Theagenis codice, in quem Stephanus inciderit, derivandum opinatur, utpote in quo pro v. *Κρηταῖος* fuisset *Λητaῖος* exaratum. Utcumque est: tale quid vitii hoc loco delitescere nos quoque persuasum habemus: de vera autem eius origine ignorantiam profiteri quam ariolari malumus. —



virum haud ignobili genere et in re lauta natum esse certissmum est, quandoquidem Pellae in Alexandri consuetudinem et familiaritatem eum constat pervenisse. Namque una cum Ptolemaeo Lagida ex eorum fuit numero, qui regio iuveni quum a Philippo patre aliquando esset abalienatus, tam fideliter sese addixerunt, ut a Philippo in exilium eiicerentur. [1]) Tantae fidei et amicitiae pignus quanti Alexander aestimaverit, et Arrianus ac Plutarchus diserte testati sunt et ipse rex gratia, liberalitate, honoribus, quibus hos amicos prae ceteris postea semper ornabat, egregie comprobavit. Itaque Nearchum quoque in huius fidei remunerationem post proelium ad Granicum factum Lyciae et finitimae terrae ad Taurum usque montem satrapam constituit, [2]) cuius satrapiae administratione ille per quinquennium (Ol. 111, 3. — 113, 1.) functus est. Post hoc enim tempus quum rex in Bactriam provinciam profectus esset, Nearchus una cum Asandro, Lydiae et Ioniae satrapa, Graecos mercenarios Zariaspam ad regis exercitum duxit; [3]) neque postea in hanc satrapiam rediit, sed scutatorum (*τῶν ὑπασπιστῶν*) chiliarcha factus [4]) Alexandrum in reliquis expeditionibus comitabatur, in quibus mox ad Hyphasin et Indum immortalem nominis famam adeptus est. Namque rex ad Hyphasin usque profectus quum et necessitati et militum precibus cedens reverti statuisset, non eandem qua venerat viam relegere, sed Indi flumen sequutus occidentalem certe quae reliqua erat integram volebat Indiae partem imperio obtinere. Hunc in finem classe parata qua nulla ante illam aetatem vel splendidior vel potentior visa erat, felicissime Nearchum totius classis ducem elegit. [5]) Qua quidem Indi navigatione post varia discrimina egregie peracta longe et difficilius et gloriosius opus Nearchus subiit. Etenim Alexander quum

1) cf. Plut. Vit. Alex. c. X. et Arr. Exp. Alex. III. c. 5. §. 9. sqq. — 2) cf. Arr. l. c. et I. c. 24. §. 5. — 3) cf. ibid. IV. c. 7. §. 4. — 4) cf. ibid. IV. c. 30. §. 11. sqq. — 5) cf. ibid. VI. c. 2. et Hist. Ind. XVIII. §. 10. —

magna rerum in posterum gerendarum consilia pectore moliretur et perspicacissime eximia commoda prospiceret, quae ad immensi sui imperii mercaturam et florem ex Oceano ab Indi ostiis usque ad sinum Persicum pernavigato reduntatura essent: rei novae et inauditae pericula et discrimina minime ignorans, nunc omnino de conaminis eventu praeter morem variis curis angebatur, nunc de viro quem magnis et arduis rebus parem classi praeficeret dubius haesitabat. Quibus aliquando cum Nearcho communicatis ex omnibus ducibus ab eo hunc in finem commendatis quum alius alia de causa regi displicuisset, Nearchus denique: *Ὦ βασιλεῦ*, inquit, *ἐγώ τοι ὑποδέκομαι ἐξηγήσασθαι τοῦ στόλου, καὶ (εἰ τὰ ἀπὸ θεοῦ ξυνεπιλαμβάνοι) περιάξω τοι σώας τὰς νέας καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἔστε ἐπὶ τὴν Περσίδα γῆν, εἰ δὴ πλωτός τέ ἐστιν ὁ ταύτῃ πόντος καὶ τὸ ἔργον οὐκ ἄπορον γνώμῃ ἀνθρωπίνῃ.* [1]) Quibus auditis Alexander primum quidem tergiversatus talem amicum tantis sese periculis obiecturum negat: revera tamen haud insperatam hanc Nearchi responsionem regi fuisse certissimum est. Neque felicius profecto quicquam eius consiliis contingere poterat. Tali enim viro classis duce constituto omnes classiarii de salute iamiam desperantes laetius spirabant novasque spes inchoabant, quippe qui et Nearchi rerum nauticarum peritiam ingeniique dexteritatem ac strenuitatem intra Indi iam navigationem experti essent et certo confiderent, nunquam a rege amicum dilectissimum in aperta ac certa mala missum iri. Atque ipse navigationis eventus luculenter docuit, unius Nearchi prudentiae et constantiae regem totius classis salutem debuisse. Veluti, ut hoc uno utar, Arabiae promontorio conspecto unus Nearchus temerario Onesicriti consilio classem huc appellere iubentis fortissime restitit, qua de re verissime Arrianus sic iudicat: *καί μοι δοκέει περιφανέως σῶσαι τὴν στρατιὴν τῇδε τῇ βουλῇ Νέαρχος·*

1) Ita enim ipse Nearchus rem narravit praeclaro illo loco apud Arrianum in Hist. Ind. c. XX. cf. et Exp. Alex. VI. c. 19. Diod. XVII. c. 104. Strab. T. VI. p. 167. Curt. IX. c. 10. §. 3. sqq. —



*τὴν γὰρ δὴ ἄκρην ἐκείνην, καὶ τὴν πρὸς αὐτῇ χώρην πᾶσαν ἐρήμην τε εἶναι λόγος κατέχει καὶ ὕδατος ἀπορίῃ ἔχεσθαι.* Idem Arriani locus luculento est testimonio, quam strenue Nearchus quae ab Alexandro in hac navigatione instituenda iussus erat ubique sit exsequutus. Namque, quod modo dictum est, quum Onesicritus regis iussorum immemor ignavo interitus metu territus classem a proposito cursu deflectere conaretur, Nearchus acriter eum perstringens, *οὐ γάρ*, inquit, *ὅτι ἀπορίη ἦν πεζῇ διασωθῆναι πάντα αὐτῷ (Ἀλεξάνδρῳ) τὸν στρατὸν ἐπὶ τῷδε ἄρα ἐκπέμψαι τὰς νέας· ἀλλὰ ἐθέλοντα αἰγιαλούς τε τοὺς κατὰ τὸν παράπλουν κατασκέψασθαι καὶ ὅρμους καὶ νησίδας, καὶ ὅστις κόλπος ἐσέχοι ἐκπεριπλῶσαι τοῦτον, καὶ πόλιας ὅσαι ἐπιθαλάσσιαι, καὶ εἴ τις ἔγκαρπος γῆ καὶ εἴ τις ἐρήμη.* — His strenue Nearchus obtemperans quae regi pollicitus erat omnibus feliciter perpetratis innumerisque laboribus ac difficultatibus superatis in Pasitigri flumine integram ac salvam classem Alexandro tradidit. [1]) Quam vehementer autem rex de secundo huius navigationis eventu laetatus sit quantaque gratia Nearchum reducem exceperit, non sine summa animi delectatione legimus quae ea de re apud Arrianum (Hist. Ind. XXXIII. — XXXIV.) tradita sunt. Classe enim ad Anamin fluvium appulsa, cuius ostium in ipso Persici sinus introitu aperitur, Nearchus per Graecum mercenarium forte fortuna in his regionibus oberrantem de Alexandri et exercitus terrestris propinquitate certior factus [2]), ipse una cum Archia ad regem profectus, quum et naves et copias salvas ad Amanidis fluvii ostium consi-

1) Cf. Hist. Ind. XLII. §. 7. — Duae tantum naves longae et cercurus perierant. Cf. ibid. XXIII. §. 3. — 2) Locum, quo Nearchus Alexandrum convenerit non accuratius licet indicare. Diodorus (XVII. c. 106.) regem illo tempore in urbe, cui Salmi nomen esset, degisse perhibet, unde Vincentius coniicit, huius urbis nomen non abhorrere a loco, qui nunc Maaun ab orientalibus nuncupetur. De aliis virorum doctorum opinionibus haud magis certis cf. Joh. Gust. Droysen Hist. Alex. p. 481. ann. 13., qui Alexandriae, quae in his regionibus condita esset, Nearchum ad Alexandrum putat adventasse. —

stere asseverasset, Alexander multis lacrimis fusis, ut ait Arrianus, τόν τε Δία τῶν Ἑλλήνων, καὶ τὸν Ἄμμωνα τῶν Λιβύων ἐπομνύειν, ἦ μὴν μεῖζον ὡς ἐπὶ τῇδε τῇ ἀγγελίῃ χαίρειν, ἢ ὅτι τὴν Ἀσίην πᾶσαν ἐκτημένος ἔρχεται. Nec festi dies et ludi aberant regis et universi exercitus eximiam laetitiam testificati, quibus undique Nearchi dilectum caput sertis ac floribus petebatur; vix autem precibus ille ab rege impetrabat, ut ad reliquam navigationem peragendam dimitteretur. Eadem communis laetitiae significatio redintegrata est, quum in Pasitigri fluvio salva classis Alexandrum opperiretur [1]). Brevi autem post quum splendidissima nuptiarum sollemnia in Susorum regia celebrarentur, Alexander Nearchi sui haud immemor eum et aurea corona ut reliquos fortissimos duces ornavit et Barsines ac Mentoris filia in matrimonium data etiam affinitate sibi coniunxit [2]). Neque ab hoc tempore usque ad propinquam regis mortem Nearchus ab eius latere unquam videtur discessisse. Scimus enim et Chaldaeorum vaticinia, de fatali Babylonis introitu edita, per Nearchum cum rege esse communicata [3]), et ephemeridibus regiis (ap. Arr. Exp. Alex. VII. c. 25. §. 7. et Plut. Vit. Alex. c. LXXVI.) docemur, Alexandrum brevi ante supremum diem tum omnino de rebus nauticis cum Nearcho esse colloquutum tum iussa quaepiam de imminente navigatione ad eundem misisse. De reliqua Nearchi vita post immaturam Alexandri mortem paucissima neque haec quidem ab omni parte fide digna veteres scriptores tradiderunt. Primum enim quod Justinus (XIII. c. 4.) narravit, Nearchum in priori provinciarum partitione, quae Perdicca auctore facta est, Lyciam et Pamphyliam sortitum esse, pessime hic scriptor pro solita negligentia

1) Cf. Hist. Ind. c. XLII. §. 8. sqq. — 2) Cf. Arr. Exp. Alex. VII. c. 4. §. 9. et c. 5. ad fin. Huc spectat etiam quod Hist. Ind. XLII. §. 9. de aureis coronis Nearcho et Leonnato a rege impositis narratur, neque, id quod temere nonnulli vv. dd. sunt opinati, hic locus ad tempus, quo Alexander cum exercitu ad Pasitigrin adventabat, est referendus. — 3) Cf. Diod. XVII. c. 112. et Plut. Vit. Alex. c. LXXIII.



temporum rationes confudit, quum et reliquorum scriptorum testimonio (cf. Arr. ap. Phot. Cod. XCII. p. 215. Hoesch. Diod. XVIII. c. 3. Curt. X. c. 10.) et ipsa rerum gestarum serie certissime evincatur, has provincias post regis mortem non Nearcho sed Antigono evenisse, qui etiam superstite Alexandro post Nearchum eas administrabat. — Praeter Justinum duo tantummodo scriptores Curtius et Diodorus inter Alexandri successores breviter Nearchum attigerunt. Altero enim teste (Curt. X. c. 6. §. 10. sqq.) Nearchus, quum de regni successore eligendo vehementer Alexandri duces et amici disceptarent, pertinacius contra reliquos eam sententiam tuitus est, „Alexandri modo sanguinem ac stirpem regiae maiestati convenire. Ceterum exspectari nondum ortum regem, et qui iam sit praeteriri, nec animis Macedonum convenire nec tempori rerum. Esse e Barsine filium regis, huic diadema dandum." Quam Nearchi sententiam nemo mirabitur, qui Barsines et Mentoris filiam ei nuptam fuisse meminit. Maioris momenti ad posteriorem Nearchi vitam cognoscendam est Diodori locus (XIX. c. 19. cf. Mannert. hist. success. Alex. p. 115.), ubi traditum est, brevi ante cruentissimum praelium (Ol. CXVI. 1.), quo Eumenes captus est et trucidatus, Antigonum, per Cossaeos in Mediam Pythonis provinciam redire coactum, copiarum partem Nearcho per montes in Mediam ducendam tradidisse. Unde colligitur, turbulentissimis temporibus, quibus Antigonus et Eumenes vario Marte de summa rerum in Asia certarent, Nearchum ab Antigoni fuisse partibus. Praeterea neque apud Diodorum neque apud alium quemquam scriptorem de Nearchi vita quicquam est memoratum [1]).

Nearchi vita exposita ad eius scripta licet transgredi. Post acutam vero et doctam Vincentii dissertationem eo-

1) Nescio quo errore factum sit, ut Fabric. Bibl. Gr. III. p. 46. Philostrato teste Nearchum in oppido Pattala prope ad Indum sepultum perhiberet. Apud Philostratum enim nihil prorsus ea de re legitur. —

rum refutatione facile possumus suspersedere, qui Dodwelli ratiocinationibus capti navigationis descriptionem, quae apud Arrianum extat, Nearcho auctori abiudicarunt [1]), praesertim quum Plinii locus, quo Dodwelli allucinationes maxime nituntur, supra iam a nobis tractatus sit. Verum enim vero alius error hoc loco est refellendus ab eodem Dodwello iam commissus et a Schmiedero aliisque recentioribus viris doctis repetitus. Schmiederus enim (Praefat. ad Arr. Exp. Alex. p. XXXIII.) de Nearchi scriptis haec prodidit: „Praeter hunc librum (*τὰ ἀμφὶ τῷ παράπλῳ*) scripsit, Suida teste, *συγγραφὴν ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου* praeter omne dubium, quod iam video Dodwellum (in geogr. vett. scriptt. minor. T. I. p. 140. §. 10.) contra Fabricium confirmare. Erat ille paraplus vel liber singularis et diversus ab historia Alexandri, vel, ex sententia Dodwelli, lacinia duntaxat maioris operis; quod vir doctus eo probat, ut Strabonem pluribus locis ibi laudatis ex Nearcho quaedam descripsisse ostendat, quae ad paraplum pertinuisse nemo credere possit. Iis locis Strabonis addo alios Arriani l. VI. c. 13. §. 10. VII. c. 3. §. 8. Et haec quaeso quid ad paraplum?“ Haec Schmiederus. Videamus igitur ipsos locos et Strabonis et Arriani, quibus hi viri hanc sententiam probare studuerunt. Strabonis loci a Dodwello citati sunt quattuor. Primo (T. IV. p. 554.) Geographus Nearchum narrasse scripsit, quattuor potissimum populos praedatores, Mardos, Uxios, Elymaeos et Cossaeos tributa a Persarum regibus exegisse, e quibus Cossaei munera etiam acceperint, quoties rex aestate Ecbatanis transacta in Babyloniam descenderit. Horum vero audaciam ab Alexandro per hiemem eos adorto eversam esse. Altero loco (T. VI. p. 6.) ex eodem Nearcho affertur, Alexandrum in molestissimo itinere per Gedrosiam suscepto Semiramidem ac Cyrum esse aemulatum, qui eandem viam in expeditione Indica ingressi essent [2]). Tertio loco (T. VI. p. 22.) inter varias sententias de Indiae magnitudine propositas quid Nearchus eadem de re scripserit commemoratur. Quarto denique loco (ibid. p. 40.) Nearchus arborem laniferam aliasque Indiae plantas memoratu dignas attigit. His igitur Strabonis locis Schmiederus duos alios Arriani addidit, quorum altero (Exped. Alex. VI. c. 13. §. 10.) scriptor, ubi Alexandri a vulnere apud Mallos accepto sanati adventum in castra et ingentem militum ea de re laetitiam descripsit, haec addit: *Νέαρχος δὲ λέγει ὅτι χαλεποὶ αὐτῷ (Ἀλεξάνδρῳ) τῶν φίλων ἐγένοντο ὅσοι ἐκάκιζον, ὅτι αὐτὸς πρὸ τῆς στρατιᾶς κινδυνεύοι· οὐ γὰρ στρατηγοῦ ταῦτα, ἀλλὰ στρατιώτου εἶναι.* Altero denique loco (ibid. VII. c. 3. §. 8.) Arrianus in Calani Gymnosophistae morte memoranda ad Nearchi testimonium provocavit. — Quid igitur? Nonne ex his locis luculenter apparet, Nearchum libris suis etiam res tractasse, quae ad navigationis descriptionem nihil pertinerent? Quid quod loci a Dodwello et Schmiedero allati multis aliis id genus augeri possunt. Eundem enim Nearchum nunc de elephantorum captura et pretio (ap. Strab. T. VI. p. 93.), nunc de serpentibus Indicis (ib. p. 96.), nunc de pluviis ac nivibus eiusdem terrae (ib. p. 32.), nunc de Brachmanorum et reliquorum Indorum moribus et institutis (ib. p. 441. — 45.) prolixius egisse scimus. — At vero num ex omnibus his locis consequitur, Nearchum seorsum a navigationis descriptione singularem librum de Alexandri rebus conscripsisse? Immo quoniam constat, Arrianum et Strabonem iisdem saepe locis tum de navigationis descriptione tum aliis de rebus, quae ad navigationem nihil pertinere viderentur, eodem Nearchi testimonio usos esse, neque ullo loco indicasse, alia alio libro ab eo tractata esse: nonne vel hinc eodem Nearchi libro et navigationis et aliarum rerum descriptionem comprehensam fuisse probabile fit? Etenim nemo nobis persuadebit, siquidem revera Nearchus praeter navigationis descriptionem singularem librum

1) Perquam sane miratus sum, quod recentissimo etiam tempore doctissimus Petrus de Bohlen. (de Vet. Ind. I. p. 68.) Dodwelli erroribus est adstipulatus. — 2) Idem narrat Arr. Exp. Alex. VI. c. 24., qui addit: *τοῦτο μὲν μόνος Νέαρχος λέγει ὧδε.* De huius narrationis fide cf. Droysen. Hist. Alex. p. 468. et 475. ann. 9. —

de Alexandri rebus edidisset, Arrianum in Historia quidem Indica alterius libri auctoritatem ubique sequutum esse, alterum vero in Expeditione Alexandri ne verbo quidem attigisse. Nec Strabo solum et Arrianus, sed etiam Plutarchus, Diodorus et quotquot Alexandri res sequiori aetate tractaverunt, Nearchum Alexandri rerum scriptorem omnino ignorant. De Suidae autem loco a Schmiedero in partes vocato quid statuendum sit, facile unicuique apparebit, qui integrum hunc locum oculis duntaxat lustraverit. Nimirum Lexicographus (*v. Νέαρχος*) haec habet: *Οὗτος ξυνεστράτευσεν Ἀλεξάνδρῳ, καὶ συγγραφὴν συνεγράψατο ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου· ἐψεύσατο δὲ ναύαρχον ἑαυτὸν ἀναγράψας εἶναι κυβερνήτης ὤν.* Quis vero non primo statim obtutu videt, vel Suidae vel grammaticorum oscitantia Nearchum hoc loco turpiter cum Onesicrito confusum esse? Neque enim dubitari potest, quin haec Suidae verba ex Arriani loco (Exp. Alex. VI. c. 2. §. 6.) supra (c. IV. p. 20.) allato inepte exscripta sint.

Quodsi his omnibus certissime evincitur, temere Nearcho duos singulares libros tribui, quibus diversa argumenta tractata sint; quaeritur iam, quale unius veri libri fuerit argumentum? Cui quaestioni haud difficile est paucis satisfacere. Primum enim inter omnia huius libri fragmenta, quorum haud pauca apud Arrianum et Strabonem extant, ne unum quidem reperitur, quod ad Alexandri res ante expeditionem Indicam gestas iure referri queat. Immo quaecunque de Alexandri rebus a Nearcho prodita sunt, ad unum temporis spatium pertinent, quod inter reditum ex India et regis mortem est interiectum. Huc spectant fragmenta illa de Alexandro apud Mallos vulnerato, de itinere per Gedrosiam suscepto, de Calani Gymnosophistae interitu, de Cossaeis ab Alexandro per hiemem devictis et oppressis; huc denique pertinent, quae de terrarum situ et magnitudine, de populorum moribus, de plantarum, animalium natura aliisque rebus memorabilibus auctor exposuit. Neque enim ullum Nearchi scriptorum fragmentum, earum



gentium ac terrarum ordinem atque numerum excedit, quas navigatio ab Hyphasi usque ad Pasitigrin Nearcho duce peracta aliquatenus attingebat. Quare huius libri argumentum ita fere nobis videtur dispositum fuisse, ut navigationis quidem descriptio totius operis cardo esset, cui secundaria accederet earum rerum narratio, quae ad navigationem illam plus minus viderentur pertinere. Itaque nihil mirabimur, quod neque Indicarum rerum accuratiore descriptione voluit supersedere, quoniam India totius navigationis causa et caput habenda est, neque ea praetermisit, quae intra huius navigationis tempus Alexandro et exercitui pedestri usu venissent. — Quodsi haec vere sunt disputata, sponte consequitur, apud Arrianum in Historia Indica (c. XX.— XLIII.) non integrum hoc Nearchi opus, sed primariam tantum eius partem esse conservatam. Reliqua vero parte Arrianus ita videtur usus esse, ut quae memoratu digna a Nearcho memorata essent, data occasione cum aliorum auctorum narratione mixta vel Historiae Indicae vel Alexandri Expeditioni intexeret. Ita in Historia Indica (XIX. §. 8.) ipse Arrianus, ubi et hoc et antecedente capite exposuit, quomodo fuisset instructa Alexandri classis quae Hyphasin et Indum pernavigasset [1]), de reliqua huius navigationis narratione lectores ad Expeditionem Alexandri a se scriptam ablegavit. Unde colligitur, quomodo factum sit, ut uno sexto Expeditionis Alexandri libro, quippe quo haec navigatio prolixius narrata esset, bis Arrianus ad Nearchi auctoritatem provocaret, neque potest dubitari, quin magna huius libri pars ex Nearchi commentariis fluxerit.

Nearchi fidei in Indicarum certe rerum descriptione haud multum sane credendum esset, si Strabonis iudicium sequeremur, apud quem (T. I. p. 188.) ea de re haec leguntur: *Ἅπαντες μὲν τοίνυν οἱ περὶ τῆς Ἰνδικῆς γράψαντες,*

1) In his quoque Arrianus Nearchum, *ὃς τὰ ἀμφὶ τῷ παράπλῳ ἀνέγραψεν* sequutus est. Cf. Hist. Ind. XVIII. §. 4. et Exp. Alex. VI. c. 28. §. 10.

ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ψευδολόγοι γεγόνασι, καθ' ὑπερβολὴν δὲ Δηΐμαχος· τὰ δὲ δεύτερα λέγει Μεγασθένης, Ὀνησίκριτός τε καὶ Νέαρχος καὶ ἄλλοι παραψελλίζοντες ἤδη. Contra hanc severiorem censuram verissime iam Vincentius illud monuit, quae Strabonis aetate vix credibilia Nearchus narrasse visus esset, recentiorum observationibus ita esse confirmata, ut eius diligentiam et veracitatem admirari et collaudare potius quam fidem infamare deberemus[1]). Quam diligenter vero Nearchus verae ac sincerae rerum narrationi ubique studuerit, etiam illud luculento est testimonio, quod, ubi quidpiam non satis certo ipsi est exploratum, non solum ingenue hoc professus est (cf. Hist. Ind. XV. §. 1. et 4. XL. §. 9.), sed etiam in refutandis fabularum ineptiis plurimam operam posuit. (cf. ibid. c. XXXI.) Ut vero Nearchus quoque rerum novitate deceptus nonnulla minus vere tradiderit, minime profecto data opera ille, ut vulgo opinantur, mendacia est fabricatus, quod abhorret etiam ab strenua quam per totam vitam prae se tulit probitate et gravitate. —

1) Megasthenis quoque fidem minus vere hoc loco perstrinxisse Strabonem, docte probavit Bohlen. de Vet. Ind. I. p. 73. Idem v. d. pluribus locis (cf. l. c. I. p. 15. et 16. II. p. 52.) quae a Nearcho tradita sunt vel ex recentiorum observationibus vel ex ipsis Indorum scriptis ut verissima evinci docuit. —

---

Ego Samuelis Robertus Geier, a. d. XII. Cal. Dec. anni MDCCCX. Nebrae, Thuringiae oppidulo, natus sum patre Joanne Godofredo Samuele Geiero, mercatore, qui per turbulentos belli Franco-Gallici annos usque ad recentissima tempora patriae urbis rebus administrandis strenue semper praeerat, et matre Christiana Friderica Augusta, ex gente Uferiana oriunda, quae et probitatis ac pietatis et omnium quae feminam maxime decent virtutum exemplar uno ore ab omnibus habetur et diligitur. Qui quidem parentes saluti meae perpetuo ita consulebant, ut, quaecunque ad mores et ingenium excolendum valere viderentur, nullis sumptibus ac laboribus parcentes affatim mihi praeberent et conciliarent. Etenim quum primis litterarum latinarum rudimentis instituendum me curassent a sene maxime venerabili Christ. Gottl. Rittero qui patriae urbis rebus sacris praeest, et a Carolo Webero, affine meo, qui Altenrodae sacrorum antistitis munere fungitur, puerum undecim annos natum viri omni pietate mihi colendi Magni Krafftii disciplinae tradiderunt, qui senex quidem annis iuvenili ferme cum vigore scholam Donndorpiensem regit. Cui quidem praeceptori mei amantissimo quum alia innumera tum illud debeo, quod Porta mihi quoque alma mater facta est. Triennio enim in egregio Donndorpiensi litterarum ludo et laetissime et utilissime peracto Krafftii commendatione mihi contigit, ut inter clarissimae illius scholae alumnos reciperer, ex qua quot quantaque etiam in me fluxerint beneficia verba non suppetunt quibus eloquar. — Appelasse sufficit carum Ilgenii caput

et Langii venerandum nomen, quorum nunc quidem defunctorum clara memoria Portam clarare nunquam desinet; meminisse sufficit Wolfii, Neuii, Steinhardtii, Wexii, quos Graecarum et Latinarum litterarum praeceptores sortitus sum, et Jacobiorum fratrum, qui saluti meae singulari et paterno cum amore semper prospexerunt. Profecto vel sola horum virorum nomina tot tantorumque bonorum recordationem animo meo excitant, ut grata temporis illius memoria, per quod scholae Portensi addictus eram, nihil vel antiquius vel suavius mihi unquam existere possit.

Per quinquennium igitur et semestre disciplina Portensi fruitus eximia professorum Halensium celebritate accitus illustrem hanc Academiam altiorum studiorum palaestram mihi elegi, eiusque institutione per quadriennium ita usus sum, ut primum quidem parentum maxime voluntati obsequutus in theologiam incumberem, mox vero, antiquarum litterarum dulcedine iam pridem captus, egregiis Meieri et Bernhardyi lectionibus auditis totum me philologicis studiis dederem. Ad quod consilium firmandum haud minimum fecit ipsa singularis horum virorum erga me humanitas et liberalitas, quibus privatis meis studiis moderandis et adiuvandis ubique praesto erant, nec solum doctrinae copia sed etiam sermonum urbanitate et sale quid intima antiquitatis studia possent optime comprobabant. Deinde quum persuasum semper haberem, sicuti recentiora tempora et litterae sine antiquitatis scientia vere intelligi et iudicari nequirent, ita ex recentiorum historiarum et litterarum notitia haud mediocre emolumentum ad antiquitatis studia redundare: egregium fructum percepi tum ex historica societate, quae felicissimis Voigtelii auspiciis regitur, tum ex H. Leonis lectionibus, quibus summa cum voluptate semper intereram. —

---

## SENTENTIAE CONTROVERSAE.

### I.

*Falli et qui Callisthenis Olynthii commentarios de Alexandri M. rebus scriptos post illius mortem interpolatos esse opinentur, et qui, quae apud Tzetzam ex eodem scriptore afferuntur, ad genuina eius scripta referant.*

### II.

*Veros Callisthenis commentarios ante tempora substitisse, quibus Amazonum regina ad Alexandrum adventasse narretur.*

### III.

*Ex Polybii loco (XII. c. 23.): „Ἐκεῖνος μὲν οὖν (Καλλισθένης) ἀποθεοῦν Ἀλέξανδρον οὐκ ἐβουλήθη“ particulam οὐκ cum Reiskio eiiciendam.*

### IV.

*Quod Diodorus (XVII. c. 72.) et Curtius (V. c. 7.) per Thaïdem pellicem factum esse narrent, ut Alexander Persepolis regiam flammis everteret, pro Clitarchi commento habendum esse.*

### V.

*Anaximenes Lampsacenus quod ap. Valer. Max. (VII. c. 3. §. 4.) et Suid. (v. Ἀναξιμ.): „Alexandri M. praeceptor“. nuncupetur, ad Ῥητορικὴν πρὸς Ἀλέξανδρον ab eo conscriptam esse referendum.*

## VI.

*Lepidissimam fabulam, quam de Zariadre et Odati Chares Mytilenaeus (ap. Athen. p. 575. A. sqq.) decimo libro consignaverit, pro episodio habendam esse, quod idem scriptor Susianarum nuptiarum descriptioni intexuerit.*

## VII.

*Longini locum (de Sublim. Sect. III. §. 2.) cum Toupio ita legendum esse: „καὶ ἔτι μᾶλλον τὰ Κλειτάρχου (γελᾶται). — Φλοιώδης γὰρ ὁ ἀνὴρ, καὶ φυσῶν κατὰ τὸν Σοφοκλέα οὐ σμικροῖς μὲν αὐλίσκοις, φορβειᾶς δ' ἄτερ. —*

## VIII.

*Quod Ptolemaeus Lagida Σωτὴρ cognominatus sit, non ex Charetis loco (ap. Athen. p. 165. C.) cum Santo-Crucio (Exam. Crit. p. 517. ann. 2.) sed ex Diodori narratione (XX. c. 100.) cum Pausania (Attic. C. VIII. §. 6.) esse derivandum.*

## XI.

*Locum Suetonii (Caes. c. 58.): „nisi ante per se portus et navigationem explorasset" ita esse emendandum, ut pro v. per se scribatur operose.*

---

